SANCTORUM PATRUM

OPUSCULA SELECTA.

V.

SANCTORUM PATRUM

OPUSCULA SELECTA

Ad USUM PRAESERTIM STUDIOSORUM THEOLOGIAE.

V.

EDIDIT ET COMMENTARIIS AUXIT

H. HURTER S. J.,

S. Theol. et Philos. Doctor, ejusdemque s. Theol. in
C. R. Univers. Oenipont. Professor p. o.

CUM APPROBATIONE CELSISSIMI ET REVERENDISSIMI EPISCOPI
BRIXINENSIS ET FACULTATE SUPERIORUM.

OENIPONTI.
LIBRARIA ACADEMICA WAGNERIANA.
1869.

GRADUATE THEOLOGICAL UNION
LIBRARY
1961

S. AMBROSII

MEDIOLANENSIS EPISCOPI,

S. CYPRIANI ET TERTULLIANI

DE POENITENTIA OPUSCULA.

CLERICS LIBRARY
THEOLOGIANS
O. F. M.
PROV. S. BARBARAE

LONDINI
apud David Nutt.

TAURINI
apud Hyacinthum Marietti.

PARISIIS
apud Josephum Albanel.

ELENCHUS OPERUM QUAE IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR:

	Pag.
1. S. Ambrosii de poenitentia libri duo . .	1
2. S. Cypriani liber de lapsis	118
3. Tertulliani liber de poenitentia	168

#961

S. AMBROSII

MEDIOLANENSIS EPISCOPI

DE POENITENTIA

LIBRI II[1]).

LIBER PRIMUS.

CAPUT I.

Moderationis praestantia et necessitas. Eam Christus suo commendat exemplo, abjiciunt vero Novatiani.

1. Si virtutum finis ille est maximus, qui plurimorum spectat profectum, moderatio

[1]) Vitam hujus sancti doctoris et episcopi mediolanensis († 397) a Paulino ejus diacono et notario conscriptam in sequenti aliquo exhibebimus volumine. Tantae autem est auctoritatis s. Ambrosius, ut solus cum ss. Augustino, Hieronymo et Gregorio M. *doctoris magni* titulo salutetur. Eum Rufinus aquilejensis († 410) virum vocat „omni admiratione dignum, qui non solum mediolanensis ecclesiae, verum etiam omnium ecclesiarum columna quaedam et turris inexpugnabilis fuit..... qui ad ecclesiarum Dei gloriam electus a Deo est, qui in conspectu Domini locutus

prope omnium pulcherrima est: quae ne ipsos quidem quos damnat, offendit; et quos damnaverit, dignos solet facere absolutione. Denique sola est, quae Domini quaesitam sanguine Ecclesiam propagaverit, imitatrix beneficii coelestis, et redemptionis universorum salubri fine temperans, quem ferre possint aures hominum, mentes non refugere, non pavere animi.

2. Etenim qui studet humanae infirmitatis emendare vitia, ipsam infirmitatem suis debet

---

est, in conspectu persecutorum regum et non est confusus" (Apologiae L. 2. n. 23 s.). A s. Augustino dicitur „homo Dei catholicus et catholicae veritatis adversus haereticos usque ad periculum sanguinis defensor acerrimus .... strenuus Christi miles et Ecclesiae fidelis doctor" (L. 2. c. Jul. c. 9), „quem veneror ut patrem, in Christo enim Jesu per Evangelium ipse me genuit ..... cujus pro catholica fide gratiam, constantiam, labores, pericula sive operibus sive sermonibus et ipse sum expertus, et mecum non dubitat praedicare orbis romanus" (ib. L. 1. c. 3). Hos autem libros *de Poenitentia*, ad quos saepius jam s. Augustinus provocat, scripsit s. Ambrosius c. a. 384. contra Novatianos (de quibus in adnotatione sequenti quaedam dicemus); in iis vero Ecclesiae potestatem remittendi peccata et quidem omnia post baptismum commissa luculenter vindicat ac strenue tuetur contra illorum exceptiones: hortatur deinde peccatores ad agendam poenitentiam simul spe veniae illos complens et qua ratione agenda sit docens.

sustinere et quodam modo pensare humeris, non abjicere. Nam pastor ille evangelicus lassam ovem vexisse legitur, non abjecisse. Et Salomon ait: *Noli justus esse nimium* (Eccli. 7, 17); debet enim justitiam temperare moderatio. Nam quemadmodum se tibi curandum praebeat, quem fastidio habeas: qui contemptui se, non compassioni medico suo putet futurum?

3. Ideo Dominus Jesus compassus nobis est, ut ad se vocaret, non ut deterreret. Mitis venit, venit humilis. Denique ait: *Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis; et ego vos reficiam* (Matth. 11, 28). Reficit ergo Dominus Jesus, non excludit, neque abjicit: meritoque tales discipulos elegit, qui dominicae voluntatis interpretes, plebem Dei colligerent, non repudiarent. Unde liquet eos inter Christi discipulos non esse habendos, qui dura pro mitibus, superba pro humilibus sequenda opinantur: et cum ipsi quaerant Domini misericordiam, aliis eam denegant; ut sunt doctores Novatianorum, qui mundos se appellant [1]).

---

[1]) Novatiani, quorum schismatis et haeresis auctores erant Romae *Novatianus* (de quo cf. infra c. 15. n. 85.) et *Novatus* (de quo cf. s. Pontium in

4. Quid his superbius, cum Scriptura dicat: *Quia nemo mundus a peccato, nec unius diei infans* (Job. 14, 4); et David clamet: *A delicto meo munda me* (Psal. 50, 2)? Sanctiores isti quam David, de cujus nasci familia Christus incarnationis elegit mysterio, cujus posteritas aula coelestis est, utero virginali suscipiens mundi Redemptorem? Quid autem durius, quam ut indicant poenitentiam, quam non relaxent; cum utique veniam negando, incentivum auferant poenitentiae? Nemo enim potest bene agere poenitentiam, nisi qui speraverit indulgentiam.

---

vita s. Cypriani c. 5. Opusc. V. 1. p. 9 s.) in Africa medio seculo tertio, Ecclesiae potestatem abjudicabant remittendi peccata saltem graviora post baptismum commissa; horum tamen reis poenitentiam indicebant, ligabant scilicet et non solvebant, seque propter hunc rigorem, quo peccatores a sua communione excludebant, jactanter appellabant καθαρούς i. e. mundos. Triplex vero hujus erroris velut stadium distinguere oportet. Initio enim Novatianus eorum tantum crimen, qui in persecutione essent lapsi, irremissibile censuit; Catholicorum vero argumentis pressus, quod nimirum injuste veniam, quam graviorum criminum concederet reis, negaret lapsis, eo progressus est temeritatis, ut peccatum nullum remitti ab Ecclesia posse contenderit. Ab hac tamen sententia ejus sectatores postea recesserunt, peccata tantum graviora excipientes a venia.

CAPUT II.

Novatiani cum ligant et non absolvunt contra Domini agunt voluntatem.

5. Sed negant his oportere reddi communionem, qui praevaricatione lapsi sunt. Si unum tantum crimen exciperent sacrilegii, cui veniam negarent, dure quidem, sed tamen divinis tantum redargui viderentur sententiis, assertionibus tamen suis convenirent; Dominus enim crimen nullum excepit, qui peccata donavit omnia. At cum omnia peccata Stoîcorum quodam more paribus putent aestimanda mensuris, et aeque eum qui gallum, ut aiunt, gallinaceum, atque illum qui patrem suffocaverit, perpetuo asserant coelestibus abdicandos mysteriis; quomodo unius criminis objiciunt reos, cum indignissimum esse non possint etiam ipsi negare, ut paucorum poena perveniat ad multos [1])?

---

[1]) Arguit hic s. Doctor Novatianos inconstantiae. Verbis enim contendebant se *lapsis tantum* veniam negare, reipsa autem *nulli* gravis peccati reo veniam concedebant „omnia peccata Stoicorum quodam more paribus aestimantes mensuris“ (idcirco probabiliter, quod omne peccatum offensa sit Dei). Jam vero indignissimum esse ait, poenam paucorum i. e. secundum eorum verba propriam lapsorum pervenire ad

6. Sed aiunt se Domino deferre reverentiam, cui soli remittendorum criminum potestatem reservent. Imo nulli majorem injuriam faciunt, quam qui ejus volunt mandata rescindere, commissum munus refundere [1]). Nam cum ipse in Evangelio suo dixerit Dominus Jesus: *Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: et quorum detinueritis, detenta erunt* (Joan. 20, 22, 23); quis est ergo qui magis honorat, utrum qui mandatis obtemperat, an qui resistit?

7. Ecclesia in utroque servat obedientiam, ut peccatum et alliget et relaxet: haeresis in altero immitis, in altero inobediens; vult ligare, quod non resolvat: non vult solvere, quod ligavit; in quo se sua damnat sententia. Dominus enim par jus et solvendi esse voluit et ligandi, qui utrumque pari conditione permisit. Ergo qui solvendi jus non habet, nec ligandi habet [2]). Sicut enim se-

---

multos i. e. ad omnes peccatores, etiamsi in persecutione lapsi non sint.

[1]) Refundere i. e. respuere.

[2]) Evidenter hinc liquet, potestatem *ligandi* non esse tantum jus non remittendi peccata, denegandi peccatoribus indispositis veniam; sed potestatem etiam positivam *obligandi* peccatorem ad subeundam poenitentiam, ad

cundum dominicam sententiam, qui ligandi jus habet, et solvendi habet: ita istorum assertio se ipsam strangulat; ut quia solvendi sibi jus negant, negare debeant et ligandi. Quomodo igitur potest alterum licere, alterum non licere? Quibus donatum utrumque est, aut utrumque licere manifestum est, aut utrumque non licere certum est. Ecclesiae utrumque licet, haeresi utrumque non licet; jus enim hoc solis permissum sacerdotibus est. Recte igitur hoc Ecclesia vindicat, quae veros sacerdotes habet: haeresis vindicare non potest, quae sacerdotes Dei non habet.

---

certam ac pro numero et peccatorum qualitate definitam satisfactionem praestandam pro impetranda remissione peccatorum. Hanc enim potestatem Novatiani sibi vindicabant, quamvis quos imposita poenitentia ligaverant, nollent peccatorum venia concessa solvere. Ceterum haec verbi *ligandi* significatio comprobatur etiam tum ex ipsa ejus potestate, cum profecto *ligare* actum significet positivum et non sit idem ac *non solvere*, tum ex practico commentario Ecclesiae antiquae, quae ex hoc etiam titulo jus sibi vindicabat obligandi peccatores ad poenitentiam, ut venia redderentur digni, subeundam, quod sciret non solum potestatem solvendi remittendique peccata, sed et ligandi atque retinendi peccata divinitus sibi esse concessam. Merito proinde Concilium Tridentinum (Sess. 14. c. 8.) ex potestate ligandi sacerdotibus collata jus infert imponendi satisfactiones ad praeteritorum peccatorum vindictam et castigationem.

Non vindicando autem ipsa de se pronunciat, quod cum sacerdotes non habeat, jus sibi vindicare non debeat sacerdotale. Ita impudenti contumacia pudentem cernimus confessionem.

8. Specta etiam illud, quoniam qui Spiritum sanctum accepit, et solvendi peccati potestatem et ligandi accepit. Sic enim scriptum est: *Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur: et quorum detinueritis, detenta erunt.* Ergo qui solvere non potest peccatum, non habet Spiritum sanctum. Munus Spiritus sancti est officium sacerdotis, jus autem Spiritus sancti in solvendis ligandisque criminibus est; quomodo igitur munus ejus vindicant, de cujus diffidunt jure et potestate?

9. Quid quod insolentiores sunt? Nam cum ad misericordiam promptior quam ad severitatem sit Spiritus Dei; quod ait se velle, id nolunt: quod nolle, hoc agunt; cum vindicare judicis sit, remittere misericordis. Tolerabilius igitur, Novatiane, remitteres, quam ligares; aliud enim quasi delinquendi parcus usurpares, aliud quasi aerumnae compassus ignosceres [1]).

---

[1]) Sensus hujus loci hic videtur: Tolerabilius Novatianus sibi vindicaret potestatem peccata remittendi

CAPUT III.

Novatiani et ab erroris sui auctore dissident et divinae misericordiae adversantur.

10. Sed aiunt se, exceptis gravioribus criminibus, relaxare veniam levioribus. Non hoc quidem auctor vestri erroris Novatianus, qui nemini poenitentiam dandam putavit; ea scilicet contemplatione, ut quod ipse non posset solvere, non ligaret; ne ligando sperari a se faceret solutionem. In eo igitur patrem vestrum propria damnatis sententia, qui distinctionem peccatorum facitis, quae solvenda a vobis putetis, et quae sine remedio esse arbitremini: sed Deus distinctionem non facit, qui misericordiam suam promisit omnibus, et relaxandi licentiam sacerdotibus

quam ligandi. Remittendo enim „quasi aerumnae compassus ignosceret“, magisque imitaretur Deum „cum ad misericordiam promptior quam ad severitatem sit Spiritus Dei“; ligando vero i. e. peccata tantum vindicando quin ea unquam remittat, se judicem et delinquendi parcum i. e. a peccatis immunem et purum ostentat (et revera Novatiani se καθαροὺς jactanter appellabant), quod hominis fragilis et ad lapsum proni non est; hinc cum ipse peccatis sit obnoxius tolerandum non est, quod vindicandi potius quam peccata remittendi potestatem sibi usurpet; haec enim potius quam illa homini congruit.

suis sine ulla exceptione concessit. Sed qui culpam exaggeraverit, exaggeret etiam poenitentiam; majora enim crimina majoribus abluuntur fletibus. Ita nec Novatianus probatur, qui veniam interclusit omnibus: nec vos imitatores ejusdem et condemnatores; quia ibi minuitis studia poenitentiae, ubi augeri oportet; quia graviora peccata majoribus sustentanda fulcris docuit Christi misericordia.

11. Quae autem ista perversitas est, ut vobis vindicetis possibilia concessu: Deo, ut ipsi dicitis, impossibilia reservetis? Hoc est sibi eligere causas ignoscendi, Deo materiam saeviendi relinquere. Et ubi est illud: *Sit autem Deus verax, omnis autem homo mendax, sicut scriptum est: Ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas cum judicaris* (Rom. 3, 4)? Ut agnoscamus igitur Deum misericordiae magis indulgentem esse, quam severitatis tenacem, ipse ait: *Misericordiam malo, quam sacrificium* (Osee. 6, 6). Quomodo igitur vestrum potest acceptum esse sacrificium Deo, qui negatis misericordiam; cum ipse dicat nolle se mortem peccatoris, sed correctionem?

12. Cujus interpres Apostolus ait: *Quia Deus Filium suum mittens in similitudi-*

nem carnis peccati, et de peccato damnavit peccatum in carne; ut justificatio legis impleretur in nobis (Rom. 8, 3, 4). Non in similitudinem carnis ait; quia Christus veritatem suscepit carnis humanae, non similitudinem: neque in similitudinem peccati ait; quia peccatum non fecit, sed peccatum pro nobis factus est (2 Cor. 5, 21): sed venit *in similitudinem carnis peccati*, hoc est, suscepit similitudinem carnis peccatricis; ideo similitudinem, quia scriptum est: *Et homo est, et quis agnoscet eum* (Jerem. 17, 3)? Homo erat in carne secundum hominem, qui agnosceretur: virtute supra hominem, qui non agnosceretur; ita et hic carnem habet nostram, sed carnis hujus vitia non habet.

13. Non enim sicut omnis homo est, ex virili erat et feminea permixtione generatus: sed natus de Spiritu sancto et de Virgine, immaculatum corpus susceperat, quod non solum nulla vitia maculaverant, sed nec generationis aut conceptionis concretio injuriosa fuscaverat. Nam omnes homines sub peccato nascimur, quorum ipse ortus in vitio est, sicut habes lectum, dicente David: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in delictis peperit me mater mea* (Psal. 50, 5). Ideo Pauli caro corpus mortis erat, sicut ipse ait:

Quis me liberabit de corpore mortis hujus (Rom. 7, 24)? Christi autem caro damnavit peccatum, quod nascendo non sensit, quod moriendo crucifixit; ut in carne nostra esset justificatio per gratiam, ubi erat ante colluvio per culpam.

14. Quid ergo dicemus ad haec, nisi quod dixit Apostolus: *Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui Filio proprio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum; quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit? Quis accusabit adversus electos Dei? Deus qui justificat, quis est qui condemnet? Christus qui mortuus est, imo qui et resurrexit, qui est in dextera Dei, qui etiam interpellat pro nobis* (Ib. 8, 31). Pro quibus ergo Christus interpellat, eos Novatianus accusat. Quos Christus ad salutem redemit, eos Novatianus damnat ad mortem. Quibus Christus dicit: *Tollite jugum meum super vos, et discite a me quia mitis sum* (Matth. 11, 29), Novatianus dicit: Immitis sum. Quibus Christus dicit: *Invenietis requiem animabus vestris; jugum enim meum suave est, et onus meum leve est* (Ibid. 30); his grave onus, et durum imponit jugum Novatianus.

CAPUT IV.

Quam propensus ad misericordiam sit Christus.

15. Quam propensus igitur ad misericordiam sit Dominus Jesus, licet ista satis instruant; tamen etiam ipse te doceat, qui cum adversus impressionem persecutionis instruere nos vellet, ait: *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed potius eum timete, qui potest animam et corpus mittere in gehennam.* Et infra: *Omnis ergo qui confessus me fuerit coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo, qui est in coelis: qui autem negaverit me coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo, qui est in coelis* (Matth. 10, 28, 32).

16. Ubi confitetur, pro omnibus confitetur, omnes complectitur: ubi negat, non omnes negat. Sicut enim supra habet: *Omnis qui me confessus fuerit, confitebor et ego eum*, hoc est, omnem: consequens erat ut infra quoque sic redderet: *Omnis autem qui negaverit me.* Sed ne omnes negare videretur, ita subjecit: *Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo et ego eum.* Gratiam promittit omnibus, non omnibus mina-

tur injuriam. Quod est miserationis, exaggerat: quod ultionis, extenuat.

17. Atque ita scriptum est non solum in eo libro, qui secundum Matthaeum scribitur Evangelii Domini Jesu: sed etiam in eo lectum est, quem secundum Lucam reperimus; ut scias non otiose id posuisse utrumque.

18. Diximus quid scriptum sit, colligamus sententiam: *Omnis*, inquit, *qui me confessus fuerit* (Matth. 10, 32), id est, ex quacumque vita, ex quocumque statu qui confessus me fuerit, habebit me remuneratorem confessionis suae. Cum dicitur, *Omnis*, nullus a remuneratione, qui fuerit confessus, excluditur. Non similiter, omnis qui negaverit, negabitur; potest enim fieri ut aliquis victus suppliciis, sermone Deum neget, et corde adoret.

19. Numquid eadem causa est ejus qui sponte negat, et ejus quem tormenta inclinaverint ad sacrilegium, non voluntas? Quam autem indignum, cum apud homines valeat certaminis gratia, ut apud Deum non valere asseratur! Nam saepe in hoc athletarum seculari certamine etiam victos quorum fuerint certamina probata, vulgus hominum cum victoribus coronare consuevit; maxime quos viderit forte dolo aut fraude victoria

exclusos. Christus ergo athletas suos, quos viderit gravibus paulisper cessisse suppliciis, sine venia patietur manere?

20. Numquid non habebit rationem laboris, qui etiam quos projicit, non in aeternum projicit? Dicit enim David: *Non in aeternum projiciet Deus;* et contra hunc audiemus haeresim dicentem: Projicit in aeternum? *Non in finem*, inquit, *misericordiam suam abscidet a generatione in generationem, aut obliviscetur misereri Deus* (Psal. 76, 8, 10), clamat Propheta: et sunt qui divinae miserationis quaedam inducant oblivia?

CAPUT V.

Deus peccantibus indignatur quidem, sed ut eos indignationis suae terrore convertat: lapsos vero, qui ad Ecclesiam revertuntur, cum exsultatione suscipit.

21. Sed aiunt ideo se ista asserere, ne mutabilem Deum facere videantur; si his quibus fuerit iratus, ignoscat. Quid ergo? Repudiabimus divina oracula, et opiniones istorum sequemur? Sed non Deus alienis assertionibus, sed suis aestimandus est vocibus. Quod enim promptius edere possumus insigne ejus misericordiae, quam quod

ipse per prophetam Osee, quibus tanquam iratus minabatur, continuo tanquam reconciliatus indulget? Ait enim: *Quid tibi faciam, Ephraem? aut quid faciam tibi, Juda? Misericordia vestra* (Osee. 6, 4), etc. Et infra: *Quomodo te constituam? Velut Adama efficiam te, et sicut Seboïm* (Osee. 11, 8). In ipsa indignatione velut patrio quodam affectu haeret, quomodo ad poenam tradat errantem: etsi judaeus meretur, Deus tamen adhuc secum examinat. Sed continuo qui dixerat: *Sicut Adama faciam te, et sicut Seboïm;* quae duae urbes ex vicinia Sodomorum parilis excidii traxere consortium: *Conversum est,* inquit, *cor meum in eo ipso, conturbata est poenitentia mea: non faciam secundum iracundiam furoris mei* (Ibid. 9).

22. Nonne apparet quod ideo nobis peccantibus indignetur Dominus Jesus, ut indignationis suae nos terrore convertat? Indignatio ergo ejus non ultionis exsecutio, sed magis absolutionis est operatio: sic enim dixit: *Si conversus ingemueris, salvus eris* (Isai. 30, 15). Exspectat gemitus nostros, sed temporales, ut remittat perpetuos: exspectat lacrymas nostras, ut profundat pietatem suam. Sic in Evangelio viduae matris

lacrymis compassus, filium ejus resuscitavit. Exspectat conversionem nostram, ut revertatur et ipse ad gratiam: quae, si nullus lapsus nobis irreperet, in nobis perseveraret: sed quia peccatis nostris contrahimus offensam, indignatur, ut humiliemur; humiliamur, ut digni simus magis miseratione quam poena.

23. Doceat te certe Hieremias dicens: *Quia non repellet in aeternum Dominus; quoniam cum humiliaverit, miserebitur secundum multitudinem misericordiae suae: qui non humiliavit toto corde suo, neque repulit filios hominum* (Thren. 3, 31, 32). Hoc certe in Threnis Hieremiae legimus, et ex his, vel ceteris quae sequuntur, advertimus quia ideo humiliat sub pedibus suis omnes vinctos terrae, ut judicium ejus declinemus. Sed nec toto corde humiliat peccatorem usque ad terram, qui etiam de terra suscitat inopem, et de stercore erigit pauperem; non enim ex toto corde humiliat, qui se veniae reservat.

24. Quod si non ex toto corde omnem humiliat peccatorem, quanto magis non ex toto corde humiliat eum, qui non ex toto corde peccavit? Nam sicut dixit de judaeis: *Populus hic labiis me honorat, cor autem*

eorum longe est a me (Isai. 29, 13, et Matth. 15, 8); fortasse et de aliquibus lapsis dicat: Isti labiis me negarunt, sed corde mecum sunt. Vicit eos poena, non avertit perfidia. Sine causa autem his aliqui veniam negant, quorum fidem eo usque confessus persecutor est, ut eam studeret expugnare tormentis. Negarunt semel, sed quotidie confitentur: negarunt sermone, sed confitentur gemitibus, confitentur ejulationibus, confitentur fletibus, confitentur liberis, non coactis vocibus. Cesserunt quidem ad tempus diaboli tentationi: sed etiam diabolus postea recessit ab his, quos sibi vindicare non potuit. Cessit eorum fletibus, cessit poenitentiae: quos invaserat alienos, perdidit suos.

25. Nonne ita istud est, ac si quis captivum victae urbis populum abducat? Captivus ducitur, sed invitus: qui in alienas terras necessitate contendat, intimo tamen non migret affectu, patriam secum animo vehat, quaerat copiam quemadmodum revertatur. Quid ergo? Cum hujuscemodi revertitur, num est aliquis qui persuadeat non recipiendum; minore scilicet honore, sed studio propensiore, ne habeat in quo insultet adversarius. Si armato ignoscis, qui pugnare potuit; non ignoscis ei, in quo sola pugnabat fides?

26. Ipsius diaboli de hujusmodi lapsis si requiramus sententiam, nonne videtur dicere: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me?* Quomodo enim mecum est, qui non recedit a Christo? Sine causa autem me colere videntur, qui doctrinam Jesu custodiunt: ego autem putabam quod meam docerent. Plus damnant, dum comperta deserunt. Certe Jesus in his amplius gloriatur, dum recipit revertentes. Exsultant omnes angeli; quia gaudium majus est in coelo super uno peccatore poenitentiam agente, quam in nonaginta et novem justis qui non indigent poenitentia. De me in coelo, de me in terris triumphus sumitur. Nihil Christo perit, quando hi qui ad me cum fletu venerant, cum desiderio ad Ecclesiam revertuntur: et horum exemplo etiam de meis periclitor, qui didicerint nihil hic esse, ubi homines praesentibus provocantur praemiis; et plurimum illic, ubi gemitus, lacrymae, jejunia meis epulis praeferuntur.

CAPUT VI.

Novatianorum inhumanitas.

27. Hos ergo, Novatiani, excluditis? Quid est enim aliud excludere, nisi spem

veniae denegare? Sed neque semivivum illum derelictum a latronibus samaritanus praeteriit: et vulnera ejus oleo vinoque curavit, prius infundens oleum quo foveret: supra jumentum suum imposuit vulneratum, in quo ejus peccata vexit omnia; nec ovem pastor despexit errantem.

28. Vos autem dicitis: *Noli me tangere.* Vos dicitis volentes justificare vos ipsos: Non est proximus noster, superbiores quam legisperitus ille qui Christum tentare cupiebat; ille enim dixit: *Quis est meus proximus* (Luc. 10, 29)? Ille interrogat, vos negatis; sicut sacerdos ille descendentes, et sicut levita praeterientes, quem curandum suscipere debuistis, nec recipientes hospitio, pro quo Christus duo numeravit aera, cujus te proximum fieri Christus jubet, ut facias in eum misericordiam. Ipse enim est proximus, quem non solum conformis natura conjunxerit, sed etiam misericordia copulaverit. Ab eo te alienum superbia facis, extollens te frustra inflatus mente carnis tuae, et non tenens caput. Si enim caput teneres, adverteres non tibi eum deserendum, pro quo Christus mortuus est. Si caput teneres, adverteres corpus omne compaginando potius quam solvendo, in incrementum Dei per co-

pulam caritatis, et redemptionem crescere peccatoris.

29. Cum igitur fructum omnem aufertis poenitentiae, quid aliud dicitis, nisi hoc: Nemo de vulneratis nostrum ingrediatur hospitium: nemo sanetur in nostra Ecclesia? Apud nos non curantur aegroti: sani sumus, medicum non habemus necessarium; quia ipse ait: *Non opus est sanis medicus, sed his qui male habent* (Matth. 9, 12).

CAPUT VII.

Novatianorum tumor et error.

30. Ergo, Domine Jesu, ad Ecclesiam tuam totus adveni, quoniam Novatianus excusat. Novatianus dicit: *Juga boum emi* (Luc. 14, 19), qui jugum Christi suave non suscipit, et onus grave collo imponit suo, quod portare non queat. Novatianus servos tuos a quibus invitabatur, tenuit, et contumelia affectos occidit, quos iterati baptismatis labe inquinavit. Mitte ergo ad exitus viarum, et collige bonos et malos: et debiles, et caecos, et claudos introduc in Ecclesiam tuam. Jube impleatur domus tua: introduc omnes ad coenam tuam; quia quem tu vocaveris, dignum facies, si sequatur. Ille sane

rejicitur, qui non habuerit vestem nuptialem, hoc est, amictum caritatis, velamen gratiae. Mitte, inquam, ad universos.

31. Non excusat Ecclesia tua a coena tua, excusat Novatianus. Non dicit familia tua: Sana sum, medicum non requiro; sed dicit: *Sana me, Domine, et sanabor: salva me, et salvabor* (Ibid. 21). Denique Ecclesiae tuae species est in illa, quae accessit retro, et tetigit fimbriam vestimenti tui, dicens intra se: *Quia si tetigero vestimentum ejus, salva ero* (Matth. 9, 21). Haec ergo Ecclesia confitetur vulnera sua, haec curari cupit.

32. Et tu quidem, Domine, omnes cupis sanare, sed non omnes curari volunt. Non vult Novatianus, qui se putat esse sanum. Tu, Domine, aegrum te esse dicis, et in minimo nostram sentis infirmitatem, dicens: *Æger eram, et visitastis me* (Id. 25, 36): Novatianus illum minimum visitare nescit, in quo tu desideras visitari. Tu dicis Petro excusanti, ne ei pedes lavares: *Nisi lavero tibi pedes, non habebis partem mecum* (Joan. 13, 8). Quod ergo isti possunt consortium tecum habere, qui claves regni non suscipiunt, negantes quod dimittere peccata debeant?

33. Quod quidem recte de se fatentur;

non habent enim Petri hereditatem, qui Petri sedem non habent, quam impia divisione discerpunt: sed hoc improbe quod etiam in Ecclesia donari peccata negant posse, cum Petro dictum sit: *Tibi dabo claves regni coelorum, et quaecumque ligaveris super terram, erunt ligata et in coelo: et quaecumque solveris super terram, erunt soluta et in coelis* (Matth. 16, 19); cum et ipse vas electionis dominicae dicat: *Si cui autem quid donastis, et ego; nam et ego quod donavi, propter vos in persona Christi* (2 Cor. 2, 10). Cur igitur Paulum legunt, si eum tam impie arbitrabantur errasse, ut jus sibi vindicaret Domini sui? Sed vindicavit acceptum, non usurpavit indebitum.

CAPUT VIII.

Discipulorum Christi praerogativae. Tumor Novatianorum.

34. Vult Dominus plurimum posse discipulos suos, vult a servulis suis ea fieri in nomine suo, quae faciebat ipse positus in terris. Denique ait: *Et majora his facietis* (Joan. 14, 12). Dedit ut mortuos suscitarent. Et cum ipse Saulo reddere posset usum videndi, eum tamen ad Ananiam discipulum

suum misit, ut ejus benedictione Saulo refunderentur oculi, quos amiserat. Petrum quoque secum in mari jussit ambulare et quia titubavit, reprehendit illico, eo quod doni gratiam fidei pusillitate minuisset. Dedit etiam discipulis ut lux mundi essent per gratiam, qui erat ipse lux mundi. Et quia descensurus esset e coelo, et in coelum ascensurus, Eliam ad coelum levavit, inde eum terris complacito redditurus tempore. Baptizaturus quoque in Spiritu sancto et igne, per Joannem baptismatis sacramenta praemisit.

35. Omnia denique donavit discipulis suis, de quibus ait: *In nomine meo daemonia ejicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent; et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit: supra aegros manus imponent, et bene habebunt* (Marc. 16, 17, 18). Omnia ergo dedit, sed nulla in his hominis potestas est, ubi divini muneris gratia viget.

36. Cur ergo manus imponitis, et benedictionis opus creditis, si quis forte revaluerit aegrotus? Cur praesumitis aliquos a colluvione diaboli per vos mundari posse? Cur baptizatis, si per hominem peccata dimitti non licet? In baptismo utique remissio peccatorum omnium est: quid interest, utrum

per poenitentiam, an per lavacrum hoc jus sibi datum sacerdotes vindicent? Unum in utroque mysterium est.

37. Sed dicis quia in lavacro operatur mysteriorum gratia. Quid in poenitentia? Nonne Dei nomen operatur? Quid ergo? Ubi vultis, vindicatis vobis Dei gratiam: ubi vultis, repudiatis? Sed hoc insolentis arrogantiae, non sancti timoris est; ut fastidio vobis sint, qui volunt agere poenitentiam. Perpeti videlicet flentium lacrymas non potestis. Non ferunt oculi vestri vilia vestimentorum, illuviem sordidatorum, superbo oculo et tumido corde delicati mei, indignanti voce dicentes singuli: Noli me tangere, quia mundus sum.

38. Dicit quidem Dominus ad Mariam Magdalenam: *Noli me tangere* (Joan. 20, 17); sed non dixit: Quia mundus sum, qui mundus erat: tu audes, Novatiane, mundum te dicere, qui etsi operibus mundus esses, hoc solo verbo fieres immundus? Esaïas dicit: *O miser ego, et compunctus corde; quia cum sim homo, et immunda labia habeam, in medio quoque populi immunda labia habentis habitem* (Isaï. 6, 5): et tu dicis: Mundus sum, cum mundus non sit, ut scriptum est, nec unius diei infans? David dicit: *Et a*

delicto meo munda me (Psal. 50, 4), quem utique misericordem saepe Domini justificavit gratia: tu mundus, cum tam injustus sis, ut non miserearis; ut festucam in oculo fratris tui videas, trabem autem quae in oculo tuo est, non consideres? Immundus enim apud Deum omnis iniquus. Quid autem injustius, quam ut velis tibi dimitti peccata tua, cum roganti ipse non putes remittenda? Quid injustius, quam ut te justifices, in quo damnas alterum, cum graviora committas?

39. Denique remissionem celebraturus peccatorum nostrorum Dominus Jesus dicenti sibi Joanni: *Ego a te debeo baptizari, et tu venis ad me!* respondit: *Sine modo; sic enim decet nos implere omnem justitiam* (Matth. 3, 14, 15). Et Dominus quidem venit ad peccatorem, cum peccatum ipse non haberet; et baptizari voluit, cui mundari necesse non erat: vos quis ferat, qui putatis vobis opus non esse mundari per poenitentiam; quia mundatos vos esse dicitis per gratiam, quasi jam peccare vobis impossibile sit?

CAPUT IX.

Respondet ad verba 1. Reg. 2, 25., quibus abutebantur Novatiani.

40. Sed dicitis: Scriptum est: *Si peccaverit homo in hominem, orabunt pro eo ad Dominum: si autem in Dominum peccaverit homo, quis orabit pro eo* (1 Reg. 2, 25)? Primum, ut supra jam dixi, tunc te ista paterer objicere, si solis praevaricantibus non relaxares poenitentiam. Tamen quid scrupuli ista adfert quaestio? Non enim scriptum est: Nullus orabit pro eo: sed, *Quis orabit*, hoc est, quis ille sit, qui in tali causa orare possit, quaeritur, non excluditur.

41. Denique habes in Psalmo decimo quarto: *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo* (Psal. 14, 1)? Non enim nullus, sed probatus habitabit: nec hoc dicit quod nemo requiescat, sed requiescat electus. Ut scias hoc esse verum, non multo post in Psalmo vigesimo tertio ait: *Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto ejus* (Ib. 23, 3)? id est, non quicumque de vulgo, nec plebeiae vilitatis aliquis:

sed vitae egregiae, singularisque meriti. Et ut scias quia cum *quis* dicitur, non intelligitur nullus, sed aliquis significatur, cum dixisset: *Quis ascendet in montem Domini?* subjecit: *Innocens manibus, et mundo corde, qui non accepit in vano animam suam.* Et alibi: *Quis sapiens, et intelliget haec* (Osee. 14, 10)? Numquid dicit quia nullus intelliget? Et in Evangelio: *Quis fidelis dispensator et prudens, quem constituet Dominus super familiam suam, ut det illis in tempore tritici mensuram* (Luc. 12, 42)? Et ut comprehendas quia de eo dixit, qui utique est, non de eo qui non est, subjunxit: *Beatus ille servus, quem cum venerit Dominus, invenerit sic facientem.* Et illud ita opinor dictum: *Deus, quis similis tibi* (Psal. 82, 1)? non utique nullus; quia imago Patris Filius est.

42. Similiter igitur accipiendum: *Quis orabit pro eo?* hoc est, singularis vitae aliquis debet orare pro eo, qui peccavit in Dominum. Quo major culpa, eo majora sunt quaerenda suffragia. Non enim quicumque de vulgo pro judaeorum populo, sed Moyses rogavit, quando vituli caput fidei immemores adoraverunt. Numquid erravit Moyses? Atqui non erravit, qui quod rogavit, et meruit

et impetravit. Quid enim talis affectus non impetraret, quando se objecit pro populo, dicens: *Et nunc si dimittis illis peccatum, dimitte: sin autem, dele me de libro vitae* (Ex. 32, 31 s.)? Vides quia non tanquam deliciosus intercessor, et fastidii plenus sibi consulat, ne offensionem contrahat, quod Novatianus metuere se dicit: sed magis omnium memor, sui immemor, offendere non timebat ipse, ut plebem ab offensionis periculo exueret et liberaret.

43. Merito ergo scriptum est: *Quis orabit pro eo?* hoc est, talis qualis Moyses qui se offerat pro peccantibus: talis qualis Hieremias, cui prophetae cum esset dictum a Domino Deo nostro: *Noli orare pro populo isto* (Jerem. 7, 16); tamen oravit, et veniam meruit. Denique intercessione prophetica et obsecratione tanti vatis inflexus Dominus dicit ad Hierusalem, quoniam ea quoque poenitentiam pro delictis egerat, dicens: *Domine omnipotens, Deus Israël, anima in angustiis, et spiritus anxius clamat ad te: audi, Domine, et miserere* (Baruch. 3, 1, 2). Et jubet luctus vestimenta deponi, et abjici gemitus poenitentiae; sic enim scriptum est in fine libri: *Exue te, Hierusalem, stola luctus et vexationis tuae, et indue te deco-*

rem ejus, quae a Deo data est tibi gloria in aeternum (Ibid. 5, 1).

CAPUT X.

Solvit difficultatem ex 1. Joan. 5, 16. derivatam.

44. Tales igitur deprecatores in delictis maximis sunt requirendi; nam si quicumque de populo orent, non exaudiuntur.

45. Unde nec illa quaestio vestra quidquam poterit adferre ponderis, quam sumitis de epistola Joannis dicentis: *Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat, et dabit illi vitam Deus; quia non peccat ad mortem. Est peccatum ad mortem, non de illo dico, ut oret* (1 Joan. 5, 16); non enim ad Moysen et Hieremiam loquebatur, sed ad populum, qui suorum peccatorum alium precatorem deberet adhibere: cui satis est si pro levioribus delictis Deum precetur, graviorum veniam justorum[1]) orationibus reservandam putet. Nam quomodo Joannes diceret non orandum pro delicto graviore, qui legisset Moysen rogasse,

---

[1]) *Justorum* i. e. insigniter justorum seu sanctorum, ut colligitur tum ex contextu tum ex cap. praecedenti.

et impetrasse; ubi erat praevaricatio voluntaria: qui sciret etiam Hieremiam rogasse?

46. Quomodo Joannes diceret non orandum pro peccato quod esset ad mortem, qui ipse in Apocalypsi scripsit mandatum angelo ecclesiae Pergami: *Habes illic tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balaac mittere scandalum coram filiis Israël, manducare immolata et fornicari; ita et tu habes tenentes doctrinam Nicolaïtarum, similiter age poenitentiam: ceterum venio tibi cito* (Apoc. 2, 12)? Vides quod Deus qui poenitentiam exigit, veniam polliceatur? Denique et ibi dicit: *Qui habet aures, audiat quid Spiritus dicat ecclesiis: Vincenti dabo manducare manna absconditum* (Ibid. 7).

47. Nonne ipse Joannes cognoverat Stephanum pro persecutoribus suis, qui Christi nomen audire non poterant, deprecatum; cum de ipsis a quibus lapidabatur diceret: *Domine, ne statuas illis hoc peccatum* (Act. 7, 59)? Cujus precationis effectum in Apostolo videmus; Paulus enim qui lapidantium Stephanum vestimenta servabat, non multo postea per gratiam Christi factus est apostolus, qui fuerat ante persecutor.

CAPUT XI.

Omnibus credentibus, hinc et lapsis, si a lapsu resurgunt, salus promittitur.

48. Ergo quia de Joannis generali epistola sermo est, ipsius Joannis in evangelio scripta interrogemus, utrum cum vestra interpretatione conveniant. Scribit enim dixisse Dominum: *Quia sic dilexit Deus hunc mundum, ut Filium suum unigenitum daret; ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam* (Joan. 3, 16). Si quem ergo lapsum revocare cupias: ut credat, an ut non credat, hortaris? Utique ut credat. Sed qui credit juxta Domini sententiam, habebit vitam aeternam. Quomodo ergo prohibebis orare pro eo, cui aeterna vita debetur? cum divinae sit gratiae fides, sicut Apostolus in divisionibus gratiarum docet, quia alii datur in eodem Spiritu fides; et discipuli Domino dicant: *Adauge nobis fidem* (Luc. 17, 5). Qui ergo fidem habet, habet vitam: qui vitam habet, non est utique exclusus a venia. *Omnis*, inquit, *qui credit in eum, non pereat.* Cum omnis dicitur, nullus excluditur, nullus excipitur; non enim excipit eum qui lapsus est, si tamen postea bene credat.

49. Plurimos comperimus se denuo reformasse post lapsum, et pro nomine Dei passos: num possumus his martyrum consortia negare, quibus Dominus Jesus non negavit? Audemus igitur dicere non esse his vitam redditam, quibus Christus coronam reddidit? Sicut ergo post lapsum plerisque si patiantur, corona redditur; ita si credant, et fides redditur. Quae fides Dei donum est; sicut habes scriptum: *Quia a Deo vobis datum est, non solum ut credatis in eum, sed etiam ut pro illo patiamini* (Philip. 1, 29). Numquid is qui Dei donum habet, potest non habere indulgentiam?

50. Non una autem, sed duplex gratia est, ut omnis qui credit, et patiatur pro Domino Jesu. Habet igitur qui credit suam gratiam: habet autem alteram, si fides ejus passionibus coronetur. Neque enim prius quam pateretur Petrus, sine gratia fuit: sed ubi passus est, acquisivit alteram. Et plerique qui non habuerunt gratiam, ut pro Jesu paterentur; habuerunt tamen gratiam, ut in Jesum crederent.

51. Ideo dicitur: *Ut omnis qui credit in eum, non pereat* (Joan. 3, 16). Omnis, inquit, hoc est, ex quocumque statu, ex quocumque lapsu, si credat, perire non timeat.

Potest enim fieri ut aliquem de Hierusalem descendentem in Hiericho, hoc est, de martyrii certamine relapsum in istius vitae cupiditatem secularemque gratiam, vulneratum a latronibus, hoc est, a persecutoribus, et semivivum derelictum evangelicus ille samaritanus inveniat, qui nostrarum custos animarum est (samaritanus enim custos dicitur), et non praetereat eum, sed curet et sanet.

52. Fortasse ideo non praeterit eum, quia aliquid in eo vitale agnoscit, unde is possit vitam resumere. Nonne vobis videtur ille qui lapsus est, semivivus esse, si vitale aliquid fides spiret? Nam qui penitus Deum ex suo corde abjicit, ille mortuus est. Qui ergo non penitus abjicit, sed per impressionem tormentorum ad tempus negavit, semivivus est. Aut si mortuus est, cur ei dicitis agendam poenitentiam, qui jam curari non potest? Si semivivus est, infunde oleum et vinum, non vinum sine oleo, scilicet quod et foveat et remordeat. Tolle eum in jumentum tuum, trade stabulario, duo aera ad ejus curam impende, esto ei proximus. Proximus autem esse non potes, nisi facias misericordiam; nemo enim potest dici proximus, nisi qui curaverit, non occiderit. Si autem vis dici

proximus, dicit tibi Christus: *Vade et tu fac similiter* (Luc. 10, 30-37).

CAPUT XII.

De eodem argumento.

53. Aliud simile consideremus: *Qui credit in Filium, habet vitam aeternam: qui autem non credit Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum* (Joan. 3, 36). Quod manet utique jam coepit, et ex delicto aliquo coepit; quia ante non credidit. Ubi ergo quis credit, ira Dei discedit, vita autem accedit. Credere ergo in Christum, lucrum vitae est; qui enim credit in eum, non judicatur.

54. Sed referunt hoc loco quoniam is qui credit in Christum, custodire debeat sermonem ejus; sic enim aiunt scriptum, dicente Domino: *Ego lux in hunc mundum veni, ut omnis qui credit in me, in tenebris non maneat: et si quis audierit sermonem meum, et custodierit eum, ego non judico eum* (Joan. 12, 46, 47). Ille non judicat, et tu judicas? Ille dicit: *Ut qui credit in me, in tenebris non maneat*, hoc est, et si fuerit in tenebris, non permaneat in eis, errorem emendet, culpam corrigat, custodiat mandata mea; dixi

enim: *Nolo mortem peccatoris, sed correctionem* (Ezech. 33, 11). Dixi supra: *Quoniam qui in me credit, non judicatur*; et hoc custodio: *Non enim veni, ut judicem mundum, sed ut salvetur mundus per me* (Joan. 3, 17). Libenter ignosco, prompte indulgeo: *Misericordiam malo, quam sacrificium* (Osee. 6, 6): quia per sacrificium justus commendatur, per misericordiam peccator redimitur. *Non veni vocare justos, sed peccatores* (Matth. 9, 13). In lege sacrificium, in Evangelio misericordia est: lex per Moysen data est, per me gratia. Quid hoc evidentius?

55. Denique et subter ait: *Qui spernit me, et non accipit verba mea, habet qui judicet eum* (Ib. 12, 48). Num tibi videtur accipere verba Christi, qui se non correxerit? Profecto non videtur. Qui ergo corrigit se, accipit verbum ejus: hoc est enim verbum ejus, ut se unusquisque revocet a culpa. Aut excludas igitur necesse est hanc ejus sententiam: aut si negare non potes, acquiescas.

56. Oportet eum quoque mandata custodire dominica, qui peccare desinat, delictis renunciet. Non ergo de eo debes interpretari dictum, qui semper custodierit: si enim hoc sensisset, addidisset, semper: non addendo

autem, de eo pronunciavit, qui quod audivit, custodierit: audivit autem, ut corrigeret errorem: custodivit igitur quod audivit.

57. Quam vero durum sit ut ad poenam vocetur perpetuam, qui vel postea custodit Domini mandata, ipse te doceat, qui etiam non custodientibus mandata sua veniam non denegavit, sicut habes in Psalmi corpore: *Si justitias meas profanaverint, et mandata mea non custodierint; visitabo in virga iniquitates eorum, et in flagellis delicta eorum: misericordiam autem meam non disperdam ab eis* (Psal. 88, 32, 33). Omnibus igitur promittit misericordiam.

58. Sed ne sine judicio hanc esse misericordiam putetis, est discretio inter eos qui perpetuam detulerint obedientiam mandatis coelestibus, et inter eos qui aliquando vel errore, vel necessitate lapsi sint. Et ne nostro circumscribi te argumento putes, Christi judicium accipe; etenim ait: *Si sciens servus voluntatem domini sui non fecit, vapulabit multis: si autem nescivit, vapulabit paucis* (Luc. 12, 47, 48). Uterque igitur si credat, recipitur, quia *castigat omnem filium Deus, quem recipit* (Hebr. 12, 6): et quem castigat, morti utique non tradit; quia scriptum est: *Castigans castigavit me*

Dominus, et morti non tradidit me (Psal. 117, 18).

CAPUT XIII.

Lapsi poenitentiam agant. Quid sit trādi satanae in interitum carnis. Magna Dei potentia, qua satanam ut sibi noceat, nobis vero prosit, cogit invitum.

59. Denique Paulus docet non deserendos eos qui peccatum ad mortem fecerint, sed potius lacrymarum panibus, et potu coërcendos flebili; ita tamen ut ipsa moderata esset tristitia. Hoc enim significat: *Potum dabis eis in lacrymis in mensura* (Psal. 79, 6); ut ipsa moestitia mensuram habeat, ne forte abundantiore tristitia absorbeatur, qui agit poenitentiam, sicut scripsit ad Corinthios: *Quid vultis? In virga veniam ad vos, an in caritate, spirituque mansuetudinis* (1 Cor. 4, 21). Sed nec virga gravis est, quoniam legerat: *Tu quidem percuties eum virga, animam autem ejus a morte liberabis* (Prov. 23, 14).

60. Quid esset in virga venire, docet invectio fornicationis, accusatio incesti, reprehensio tumoris, quod inflati essent, quos magis lugere oporteret: postremo condemnatio rei, ut tolleretur a consortio communionis, et

traderetur adversario, non ad interitum animae, sed carnis (1. Cor. 5, 1 ss.). Sicut enim Dominus in animam sancti Job potestatem non dedit, sed in carnem ejus permisit licentiam; ita et hic traditur satanae in interitum carnis, ut serpens terram ejus lingeret, animae non noceret.

61. Moriatur ergo caro nostra cupiditatibus, sit captiva, sit subdita, nec legi mentis nostrae repugnet, sed bonae servituti subjecta moriatur; sicut in Paulo qui castigabat corpus suum, ut servituti redigeret; quo probabilior fieret praedicatio, si lex carnis ejus cum lege mentis congrueret et conveniret. Interit enim caro, cum sapientia ejus transit in spiritum; ut jam non quae carnis sunt, sapiat, sed quae sunt spiritus. Utinam videam infirmari carnem meam! utinam non trahar captivus in legem peccati! utinam non in carne vivam, sed in fide Christi! Et ideo major in infirmitate corporis gratia, quam in salute. Denique et Paulum quem multum dilexit, noluit liberare ab infirmitate carnis, cui petenti ut discederet a se infirmitas, respondit: *Sufficit tibi gratia mea; nam virtus in infirmitate perficitur.* Et Paulus plus sibi in infirmitatibus placet, dicens: *Cum infirmor, tunc potens sum* (1.

Cor. 12, 8-10); consummatur enim carnis infirmitatibus animae fortitudo.

62. Explanavimus Pauli sententiam, nunc verba ipsa consideremus, qua ratione dixerit, quod tradiderit eum satanae in interitum carnis; quia tentator noster diabolus est. Nam debilitates membris singulis infert, et aegritudines toti solet movere corpori. Denique percussit sanctum Job ulcere malo a pedibus usque ad caput; quia in potestate acceperat interitum carnis ejus, dicente Deo: *Ecce trado tibi eum, tantummodo animam ejus custodi* (Job. 2, 6). Hoc iisdem verbis Apostolus transtulit, dicens quod tradiderit hujusmodi hominem satanae in interitum carnis; ut spiritus salvus sit in die Domini nostri Jesu Christi.

63. Magna potestas, magna gratia, quae imperat diabolo, ut se ipse destruat. Se enim destruit, cum hominem quem tentando supplantare studet, ex infirmo fortiorem efficit: quia dum carnem debilitat, mentem ejus corroborat. Aegritudo enim carnis peccatum repellit: luxuria autem carnis culpam adolet.

64. Illuditur ergo diabolus, ut se ipse morsu suo vulneret, et contra se armet, quem debilitandum putavit. Sic et sanctum Job magis armavit, posteaquam vulneravit: qui

totum corpus diris perfusus ulceribus, diaboli quidem morsum pertulit, sed venena non sensit. Et ideo bene ei dictum est: *Adduces draconem in hamo, illudes eum sicut avem: ligabis eum sicut passerem puer, imponens super eum manum* (Job. 40, 24).

65. Vides quemadmodum a Paulo illudatur, ut in cavernam ejus, sicut puer ille propheticus, manum mittat, et nihil serpens noceat ei, de latebris eruat eum, de veneno ejus faciat spiritale antidotum; ut quod venenum est, medicamentum fiat: venenum est ad interitum carnis, medicamentum fit ad salutem spiritus. Quod enim nocet corpori, juvat spiritum.

66. Manducet ergo terram meam serpens, dentem carni infigat, conterat corpus, dicat Dominus et de me: *Trado tibi eum, tantummodo animam ejus custodi* (Job. 2, 6). Quanta vis Christi, ut custodia hominis imperetur etiam ipsi diabolo, qui semper vult nocere. Dominum ergo Jesum nobis propitiemus; imperante Christo, et diabolus ipse fit praedae suae custos, vel invitus mandatis obsecundat coelestibus: et quamvis immitis, tamen mansuetis obsequitur imperiis.

67. Sed quid ego commendo obsequium ejus? Sit ille semper malus, ut sit bonus

Deus semper, qui malitiam ejus nobis in gratiam convertit. Vult nocere ille, sed non potest, si Christus obsistat: carnem ulcerat, sed custodit animam: terram devorat, sed reservat spiritum. Denique scriptum est: *Tunc lupi et agni simul pascentur: leo et bos paleam manducabunt, serpens autem terram ut panem: et non nocebunt, neque vastabunt in monte sancto meo, dicit Dominus* (Isaï. 11, 6 ss.). Damnati enim serpentis haec est sententia: *Erit tibi terra cibus.* Quae terra? Ea utique de qua dictum est: *Terra es, et in terram ibis* (Gen. 3, 14 et 19).

CAPUT XIV.

De oculorum mentisque custodia ad vincendas carnis illecebras.

68. Hanc terram serpens manducat, si propitius est nobis Dominus Jesus, ut non compatiatur anima carnis debilitati, non accendatur vapore carnis et calore membrorum. *Bonum est nubere magis quam uri* (1. Cor. 7, 9); est enim flamma quae interna urit. Unde hunc ignem non alligemus in sinu mentis et recessu pectoris, ne interioris nostri uramus exuvias, et forense hoc nostrae

animae vestimentum, velamenque carnale edax libidinis flamma consumat, sed transeamus per ignem. Et si quis incidit amoris incendium, transiliat et transeat: non alliget adulterinam cupiditatem vinculis cogitationum, nullos sibi nodos assiduae nexu meditationis astringat, non intendat saepius in formam mulieris meretricis, nec adolescentula ad vultum juvenis oculos levet. Et si fortuitu aspexit et capta est; quanto magis capietur, si curiosa aspexit?

69. Vel consuetudo nos doceat. Ideo velamine obnubit caput suum mulier, ut etiam in publico tuta verecundia sit: non facile vultus ejus adolescentis oculos occurrat, nuptiali velamine tecta sit; ne vel fortuitis occursibus pateat ad vulnus vel alienum, vel suum: sed utrumque suum vulnus est. Quod si tegmine caput velat, ne temere aut videatur, aut videat (dum enim caput velatur, vultus absconditur) quanto magis velare se debet pudoris tegmine, ut etiam in publico habeat suum ipsa secretum?

70. Verum esto, inciderit oculus, sed non intendat affectus. Non enim vidisse crimen est, sed cavendum ne origo sit criminis. Videt carnalis oculus, sed premat cordis oculos, maneat mentis verecundia. Habemus

moralem et indulgentem Dominum; dixit quidem propheta: *Nolo intendas in formam mulieris fornicariae* (Prov. 5, 2); sed tamen Dominus dixit: *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam adulteravit eam in corde suo* (Matth. 5, 28). Non dixit: Si quis viderit, adulteravit; sed: *Si quis ad concupiscendum viderit*, non aspectum obligavit, sed affectum quaesivit. Bonus tamen pudor, qui ipsos corporis oculos sic premere consuevit, ut saepe non videamus etiam quod videmus. Etenim specie aspicere videmur, quidquid occurrerit; sed si non misceatur animi intentio, hic quoque secundum carnis officium noster aspectus vanescit; ita plus videmus animo, quam corpore.

71. Etsi viderit caro ignem, non alligemus ignem in sinu, hoc est, in secreto mentis animique arcano. Non implicemus ignem hunc ossibus, non ipsi nobis nodos injiciamus, non misceamus sermonem aliquem cum hujusmodi, unde exaestuet ignis adulterinus. Sermo juvenculae nodus adolescentium est: verba adolescentis vincula sunt amoris.

72. Vidit hunc ignem Joseph, quando eum adulterii cupida mulier allocuta est: voluit eum capere sermone, misit laqueos labiorum suorum, sed pudicum virum ligare

non potuit. Solvit enim vincula mulieris vox pudoris, sermo gravitatis, habena cautelae. fidei custodia, castimoniae disciplina. Capere igitur eum retibus suis impudica non potuit: misit manum, et apprehendit vestem ejus, ut nodo stringeret. Verba petulantis mulieris cupiditatum retia sunt. manus ejus amoris nodus est: sed nec retibus capi potuit mens pudica, nec nodo: excussa vestis. solutus est nodus; et ideo quia non alligavit ignem in sinu mentis suae. non combussit corpus suum.

73. Vides ergo, quia animus noster culpae est auctor? Itaque innocens caro, sed plerumque peccati ministra. Ergo non te vincat formae concupiscentia. Multa retia tenduntur a diabolo, multi laquei. Oculus meretricis laqueus amatoris est. Ipsi nobis oculi nostri retia sunt; et ideo scriptum est: *Neque capiaris oculis tuis* (Prov. 6, 25). Ipsi nobis ergo tendimus retia, quibus involvimur et implicamur. Ipsi nobis vincula nectimus sicut legimus: Quia vinculis peccatorum suorum unusquisque constringitur (ib. 6, 2).

74. Et ideo transeamus ignem adolescentiae ardoremque juvenilis aetatis: transeamus aquam, non remaneamus in aqua; ne flumina nos profunda concludant. Transea-

mus magis, ut et nos dicamus: *Torrentem pertransivit anima nostra* (Psal. 123, 5); qui enim transit, salvus est. Denique Dominus sic ait: *Si transeas per aquam, tecum sum, flumina te non concludent* (Isaï. 43, 2); et propheta dicit: *Vidi impium superexaltatum ultra cedros Libani: et transivi, et ecce non erat* (Psal. 36, 35, 36). Transi secularia, et cecidisse aspicies altitudines impiorum. Moyses quoque transiens secularia flumina, vidit visum magnum, et ait: *Transiens videbo hoc visum* (Exod. 3, 3); si enim fuisset in corporis vitiis, et seculi istius lubricis voluptatibus, tanta non vidisset mysteria.

75. Transeamus ergo et nos ignem hunc libidinis, quem timens Paulus, sed nobis timens, qui castigando corpus suum, fecerat ut jam non timeret sibi, dicit nobis: *Fugite fornicationem* (1. Cor. 6, 18). Fugiamus ergo tanquam sequentem, quae non post nos, sed in nobis sequitur nosmetipsos. Ergo videamus diligenter, ne dum illam fugimus, nobiscum eam portemus. Volumus enim plerumque fugere, sed si non penitus eam de nostro excutimus animo, tollimus eam magis, quam relinquimus. Transiliamus ergo eam, ne nobis dicatur: *Ambulate in igne*

flammae vestrae, quam accendistis vobis (Isaï. 50, 11). Quoniam sicut ille *qui alligat ignem in sinu, vestimenta comburit* (Prov. 6, 27); sic qui ambulat super ignem, pedes comburat necesse est; quoniam scriptum est: *Ambulabit quis super carbones ignis, pedes autem non comburet* (Ib. 1, 28)?

76. Gravis ignis est, et ideo non demus illi alimenta luxuriae. Pascitur libido conviviis, nutritur deliciis, vino accenditur, ebrietate inflammatur. Graviora his sunt fomenta verborum, quae vino quodam sodomitanae vitis mentem inebriant. Caveamus tamen et hujus abundantiam vini; ubi enim caro inebriatur, mens titubat, animus vacillat, cor fluctuat. Et ideo ad utrumque utile praeceptum est, quo monetur Timotheus: *Vino modico utere propter frequentes tuas infirmitates* (1. Tim. 5, 23). Cum calet corpus, trahit vaporem: cum alget morbi frigore caro, refrigeratur anima tua: cum dolet corpus tuum, tristis est mens tua, sed tristitia tua in gaudium veniet.

77. Noli ergo timere si manducetur caro tua, anima tua non devoratur. Ideo David non timere se dicit; quia carnem ejus non animam inimici edebant, sicut legimus: *Dum appropinquant super me nocentes, ut edant*

carnes meas: qui tribulant me inimici mei, ipsi infirmati sunt, et ceciderunt (Psal. 26, 2). Ruinam igitur solam facit sibi serpens, ideo serpenti traditur, qui a serpente elisus est; ut quem dejecit, hunc erigat: et fiat ruina serpentis hominis resurrectio. Satanam autem corporalis hujus contritionis et carnalis auctorem debilitatis Scriptura ostendit, Paulo dicente: *Datus est mihi stimulus carnis meae angelus satanae, qui me colaphizet, ut non extollar* (2. Cor. 12, 7). Sic ergo curare Paulus didicit, quemadmodum ipse sanatus est.

CAPUT XV.

Explicat verba S. Pauli 1. Cor. 5, 7.

78. Bonus itaque doctor dum promittit alterum de duobus, utrumque donavit. Venit in virga, quia a communione sacra convictum removit. Et bene dicitur tradi satanae, qui separatur a Christi corpore. Venit etiam in caritate spirituque mansuetudinis, vel quia sic tradidit, ut spiritum ejus salvum faceret, vel quia eum quem ante sequestraverat, postea sacramentis reddidit.

79. Nam et sequestrari oportet graviter lapsum, ne modicum fermentum totam mas-

sam corrumpat: et expurgandum est vetus fermentum, vel in singulis vetus homo, hoc est, exterior homo cum actibus suis, vel in populo inveteratus peccatis, vitiisque concretus. Et bene dixit expurgandum, non projiciendum: quod enim expurgatur, non totum judicatur inutile; ideo enim purgatur, ut utile ab inutili separetur: quod autem projicitur, nihil in se utile habere creditur.

80. Jam tunc igitur Apostolus reddendum sacramentis judicavit coelestibus, si purgari se ipse vellet. Et bene ait: *Expurgate;* velut enim operibus quibusdam totius populi purgatur, et plebis lacrymis abluitur, qui orationibus et fletibus plebis redimitur a peccato, et in homine mundatur interiore. Donavit enim Christus Ecclesiae suae, ut unum per omnes redimeret, quae Domini Jesu meruit adventum, ut per unum omnes redimerentur.

81. Hic sensus Pauli est, quem verba obscuriorem faciunt. Consideremus ipsum Apostoli sermonem: *Expurgate,* inquit, *vetus fermentum; ut sitis nova conspersio, sicut estis azymi* (1 Cor. 5, 7). Sive quod tota Ecclesia suscipiat onus peccatoris, cui compatiendum et fletu, et oratione, et dolore est: et quasi fermento ejus se totam consper-

gat; ut per universos ea quae superflua sunt in aliquo poenitentiam agente virilis misericordiae aut compassionis velut collativa quadam admixtione purgentur. Sive ut illa mulier evangelica docet, quae typum praetendit Ecclesiae, eo quod fermentum abscondat in farina sua, donec fermentetur totum; ut mundum omne sumatur (Luc. 13, 21).

82. Docuit me Dominus in Evangelio quid sit fermentum, dicens: *Non intelligitis, quia non de pane dixi: Attendite a fermento pharisaeorum et sadducaeorum* (Matth. 16, 11)? Tunc, inquit, intellexerunt quia non dixit a panibus, sed a doctrina pharisaeorum et sadducaeorum attenderent sibi. Hoc ergo fermentum, hoc est, doctrinam pharisaeorum, et disputationem sadducaeorum abscondit Ecclesia in farina sua; cum litteram legis duriorem spiritali interpretatione mollivit, et velut mola quadam suae disputationis infregit, proferens velut de folliculis litterarum mysteriorum interna secreta, et resurrectionis fidem astruens; qua Dei misericordia praedicatur, qua reparari vita creditur mortuorum.

83. Non absurda autem videtur ad hunc locum assumptio comparationis hujus. Siquidem regnum coelorum est peccatoris re-

demptio: et ideo farina Ecclesiae conspergamur omnes boni et mali, ut simus omnes nova conspersio. Ne quis autem vereretur, ne fermenti vitiosioris admixtio massam decoloraret, ideo dixit: *Ut sitis nova conspersio, sicut estis azymi* (1 Cor. 5, 7), hoc est, tales conspersio vos reddet, qualis erat innocentiae vestrae pura sinceritas. Ita si misereamur, non fuscamur peccato alieno: sed redemptionem ejus acquirimus nostrae gratiae; ut qualis erat puritas, perseveret. Et ideo addidit: *Etenim pascha nostrum immolatus est Christus* (Ibid.), hoc est, passio Domini omnibus profuit, et peccatoribus donavit redemptionem, quos flagitii poenituit admissi.

84. Itaque epulemur bonum cibum, poenitentiam gerentes, laeti redemptione; nullus enim cibus est benevolentia et pietate dulcior: epulis nostris atque laetitiae nulla de peccatore servato invidia admisceatur; ne se ipse a domo Patris quemadmodum expositus in Evangelio invidus ille frater excludat, qui fratrem receptum doluit, quem in perpetuum gaudebat exclusum.

85. Cujus vos similes esse, Novatiani, non potestis negare, qui ideo, ut dicitis, in Ecclesiam non convenitis, quia per poeniten-

tiam tributa spes fuerat his qui lapsi sunt, revertendi. Sed hoc praetentum est specie. Ceterum episcopatus amissi dolore succensus Novatianus schisma composuit [1]).

86. Sed non intelligitis quia de vobis quoque prophetavit Apostolus, et vobis dicit: *Et vos inflati estis, et non magis luctum habuistis; ut tollatur de medio vestrum, qui hoc opus fecit* (1 Cor. 5, 2)? Utique tunc penitus tollitur, cum aboletur peccatum ejus; non enim excludendum ab Ecclesia dicit Apostolus, qui suadet esse purgandum.

CAPUT XVI.

Quantum distent Novatiani a misericordia Domini. Dum poenitentiae fructus e medio tollunt, ejus exstinguunt studium.

87. Cum igitur Apostolus peccatum remiserit, qua vos auctoritate dimittendum

---

[1]) Martyrio coronato a. 250. s. Fabiano romano episcopo Novatianus sedem pontificiam ambivit, sed cum Cornelius „de Dei et Christi ejus judicio, de clericorum pene omnium testimonio, de plebis quae tunc affuit suffragio et de sacerdotum antiquorum et bonorum collegio“ (ut scribit s. Cyprianus ep. 52 n. 8 ad Antonianum) in episcopum fuisset electus, aegerrime id tulit, et „episcopatus amissi dolore succensus schisma composuit“, ac pro more schismatico-

negatis? Quis reverentior Christi, Novatianus, an Paulus? Sed noverat Paulus Dominum misericordem, noverat Dominum Jesum severitate magis discipulorum offensum, quam misericordia.

88. Denique Jacobum et Joannem dicentes quod ignem de coelo peterent, qui consumeret eos, qui Dominum recipere nolebant, confutavit Jesus dicens: *Nescitis cujus spiritus estis; Filius enim hominis non venit animas hominum perdere, sed salvas facere* (Luc. 9. 55, 56). Et illis quidem dixit: *Nescitis cujus spiritus estis*, qui ipsius erant spiritus; vobis autem dicit: Non estis spiritus mei, qui meam clementiam non tenetis, qui meam refutatis misericordiam, qui excluditis poenitentiam, quam ego per apostolos meos praedicari volui in nomine meo.

89. Frustra enim dicitis vos praedicare poenitentiam, qui tollitis fructum poenitentiae. Homines enim ad aliquod studium aut praemiis aut fructibus incitantur: omne autem studium torpescit dilatione. Et ideo Dominus, ut praesentium fructu cumularetur devotio discipulorum, dixit quoniam qui

---

rum schismatis scelus auxit haeresis crimine, de quo cf. adnot. ad n. 3.

dimisisset omnia sua, et Deum secutus esset, septies tantum reciperet et hic et in futurum. Prius hic promisit, ut fastidia dilationis auferret: addidit et in futurum, ut hic disceres credere in futurum quoque solvenda tibi praemia. Remuneratio igitur praesentium testimonium futurorum est.

90. Si quis igitur occulta crimina habens, propter Christum tamen studiose poenitentiam egerit; quomodo ista recipit, si ei communio non refunditur? Volo veniam reus speret, petat eam lacrymis, petat gemitibus, petat populi totius fletibus; ut ignoscatur, obsecret: et cum secundo et tertio fuerit dilata ejus communio, credat remissius se supplicasse, fletus augeat, miserabilior postea revertatur, teneat pedes brachiis, osculetur osculis, lavet fletibus, nec dimittat; ut de ipso dicat Dominus Jesus: *Remissa sunt peccata ejus multa; quoniam dilexit multum* (Luc. 7, 47).

91. Cognovi quosdam in poenitentia sulcasse vultum lacrymis, exarasse continuis fletibus genas, stravisse corpus suum calcandum omnibus, jejuno ore semper et pallido mortis speciem spiranti in corpore praetulisse.

CAPUT XVII.

Severitati pietas est addenda. Carnis interitus ejus castigationem significat.

92. Quid exspectamus ut mortui mereantur veniam, qui mortem sibi intulerunt, cum viverent? Satis est, inquit, ei qui talis est, objurgatio haec quae fit a pluribus; ita ut e contrario magis donetis et consolemini; ne forte abundantiore tristitia absorbeatur. Si satis ad condemnationem est objurgatio, quae fit a pluribus, satis est quoque ad remissionem peccati obsecratio, quae fit a pluribus. Moralis magister et nostrae fragilitatis conscius, et pietatis divinae interpres, vult donari peccatum, vult consolationem adhiberi; ne tristitia poenitentem taedio longae dilationis absorbeat (2. Cor. 2, 6 ss.).

93. Ideo ergo donavit Apostolus, nec solum donavit, sed etiam confirmari in eum caritatem voluit. Qui carus est, non habet duritiam, sed mansuetudinem. Nec solum donavit ipse, sed voluit etiam omnes donare, et se propter alios donasse dixit; ne multi propter unum diutius contristarentur. *Si cui*, inquit, *donastis, et ego; nam et ego propter vos in persona Christi, ut non cir-*

cumveniamur a satana; nec enim versutias ejus ignoramus (2. Cor. 2, 10, 11). Recte potest serpentem cavere, qui ejus potest versutias non ignorare, quae multae ad nocendum sunt. Vult semper nocere, semper circumvenire; ut mortem inferat: sed debemus cavere ne remedium nostrum fiat ejus triumphus; circumvenimur enim ab eo, si per nimiam tristitiam pereat, qui potest liberari per indulgentiam.

94. Et ut sciremus quia de baptizato dicit[1]), addidit: *Scripsi vobis in epistola,*

---

[1]) Libenter Patres in disputatione cum Novatianis et Montanistis, qui jam seculo exeunte secundo Ecclesiae potestatem remittendi graviora quaedam peccata denegabant, ad agendi rationem provocant s. Pauli, qui incestuoso illi Corinthio in criminis poenam satanae tradito post signa indubia poenitentiae sincerae veniam indulsit; hinc enim evidenter Ecclesiae comprobatur potestas relaxandi etiam graviora peccata post baptismum commissa. Vim hujus argumenti senserunt haeretici, qui ad ejus vim infringendam duplici utebantur exceptione. Vel enim negabant illum incestuosum fuisse baptizatum, proinde hoc factum ad rem non esse, et huic Ambrosius hic occurrit; vel illum, erga quem adeo indulgentem se exhibet Paulus 2. Cor. 2, 6 ss., diversum esse contendebant ab incestuoso, quem 1. Cor. 5, 1 ss. satanae tradidit, ut ex. gr. Tertullianus jam Montanista factus (de pudicitia c. 14). Sed Patres unanimes tuentur unum eundemque esse, quem Paulus propter nefandum sce-

ne commisceamini fornicariis, non utique fornicariis hujus mundi (1. Cor. 5, 9). Et infra subjunxit: *Nunc autem scripsi vobis, non commisceri, si quis frater nominatur fornicator, aut avarus, aut idolis serviens* (Ibid. 11). Quos simul junxit ad poenam, simul voluit etiam ad veniam pertinere. *Si quis autem talis est*, inquit, *cum hoc nec cibum sumas.* Quam severus pertinacibus, quam indulgens rogantibus! Adversum illos Christi armatur injuria, his Christi invocatio suffragatur.

95. At ne quis forte eo moveatur, quia scriptum est: *Tradidi hujusmodi hominem satanae in interitum carnis* (Ibid. 5), et

---

lus satanae tradidit et postea poenitentem venia donavit. Ita, ut quosdam nominemus, catholici tempore Tertulliani, ipso teste l. c., s. Athanasius ep. 4. ad Serapionem; s. Pacianus ad Sympronianum ep. 3; s. Ambrosius h. l. s. Joannes Chrysostomus passim ut H. 2. de diabolo tentatore n. 4; H. 1. de poenit. n. 3; H. 3. et 6. de laudibus s. Pauli; H. 1. in s. Roman. n. 2; ep. 2. ad Olympiadem n. 2; ad Theodorum lapsum L. 1. n. 8. s. Epiphanius haer. 59. n. 4; s. Hieronymus ep. 122. n. 3. l. 1. in ep. ad Gal. 2, 10; adv. Jovinian. L. 1. n. 8; s. Cyrillus Alex. L. 12. in Joan. 20, 22 s.; Ambrosiaster in 2. Cor. 2, 6; nam, ut animadvertit s. Augustinus (L. 3. c. epist. Parmen. c. 1): „Non invenitur, de quo alio significet.“

dicat: Quomodo potuit ad veniam pertinere, cujus omnis interierat caro; cum manifestum sit in utroque redemptum hominem, in utroque salvari: neque animam sine carne, neque carnem sine anima, cum sibi sint gestorum operum consortiis copulatae; sine consortio vel poenae esse vel praemii? Is sibi responsum hoc habeat, quod interitus non consummatam absumptionem carnis significet, sed castigationem. Sicut enim mortuus peccato, Deo vivit: ita illecebrae carnis intereunt, et cupiditatibus suis moritur caro; ut castitati ceterisque bonis operibus reviviscat.

96. Et quod aptius exemplum, quam de matre sumamus? Namque ipsa de qua assumpti sumus, terra, intermisso exercitio cultuque, videtur deserta: et aut vinetis quibus consitus est ager, aut oleis moritur; succum tamen proprium velut quamdam sui animam non amittit. Denique repetita cultione, et creditis seminibus, quibus habilis aestimatur, feracior assurgit fructibus. Non ergo alienum si etiam nostra caro interire sic dicitur; ut repressa magis, quam absumpta credatur.

LIBER SECUNDUS.

CAPUT I.

Mature et sollicite agenda est poenitentia.

1. Etsi non pauca quae ad cohortationem poenitentiae proficiant, scripta sint in libro superiore; tamen cum adjici possint complura, ne velut semesas verborum nostrorum epulas reliquisse videamur, inceptum persequamur convivium.

2. Agenda est enim poenitentia non solum sollicite, sed etiam mature: ne forte evangelicus ille paterfamilias qui arborem ficum plantavit in vinea sua, veniat; et quaerens fructum in ea, si non invenerit, dicat cultori vineae: *Succide illam. Ut quid etiam terram occupat?* Et nisi cultor vineae interveniat, dicens: *Domine, remitte illam et hoc anno, usque dum fodiam circa illam, et mittam cophinum stercoris: et si quidem fecerit fructum; sin autem, excidatur ficulnea* (Luc. 13, 7-9).

3. Stercoremus ergo et nos agrum hunc quem possidemus, et imitemur laboriosos

agricolas, quos non pudet fimo pingui satiare terram, et immundo cinere agrum aspergere, ut fructus uberiores colligant.

4. Et quemadmodum stercoremus, docet Apostolus dicens: *Et aestimo omnia ut stercora; ut Christum lucrifaciam* (Philip. 3, 8), qui per infamiam et bonam famam meruit Christo placere. Legerat enim quod Abraham dum se stercus et cinerem fatetur, summa humilitate invenit Dei gratiam. Legerat quod Job in stercore sedens, omnia quae amiserat, recuperavit. Legerat, prophetante David, quod Deus de terra suscitat inopem, et de stercore erigit pauperem.

5. Et nos ergo non erubescamus fateri Domino peccata nostra. Pudor est ut unusquisque crimina sua prodat: sed ille pudor agrum suum arat, spinas tollit perpetuas, sentes amputat, fructus adolet, quos intermortuos esse credebat. Sequere illum qui bene arando agrum suum, fructus quaesivit aeternos. *Maledicimur*, inquit, *et benedicimus: persecutionem patimur, et sustinemus: blasphemamur, et obsecramus: tanquam purgamenta hujus mundi facti sumus* (1 Cor. 4, 12, 13). Si et tu sic araveris, seminabis spiritalia. Ara, ut peccatum auferas, fructum acquiras. Ille aravit, ut perse-

cutoris in se eradicaret affectum. Quid plus potuit nobis conferre Christus ad studium correctionis, quam ut converteret, et daret nobis ex persecutore doctorem?

CAPUT II.

Explicat s. Doctor verba s. Pauli Hebr. 6, 4 s.

6. Cum igitur tam evidenti et ipsius Apostoli et scriptorum ejus exemplo redarguantur, tamen adhuc obniti volunt, et auctoritatem aiunt apostolicae sibi suffragari sententiae, allegantes scriptum ad Hebraeos: *Impossibile est enim hos qui semel illuminati sunt, et gustaverunt donum coeleste, et participes facti sunt Spiritus sancti, et bonum gustaverunt Dei Verbum, virtutesque futuri seculi, lapsos iterum renovari in poenitentiam, rursus crucifigentes Filium Dei, et ostentatione triumphantes* (Hebr. 6, 4 ss.) [1]).

[1]) Ad hunc in primis locum Novatiani provocabant, ut suum tuerentur errorem, et quia non omni caret difficultate hinc etiam factum est, ut quondam de hujus epistolae authentia haud pauci latinorum dubitarent, vel saltem ea rarius uterentur, teste Philastrio (haeresi 89. al. 61), qui refert, populo legi Pauli nonnisi „tredecim epistolas et ad Hebraeos interdum

7. Numquid Paulus adversus factum suum praedicare potuit? Donavit Corinthio

..... quia et factum Christum dicit in ea, unde non legitur. De poenitentia autem propter Novatianos aeque.« Porro duplex est hujus loci penes Patres et theologos explicatio, vel enim censent, Paulum negare baptismum iterari posse, vel putant, Apostolum inculcare tantum difficultatem, quam impotentiam moralem vocant, veniae obtinendae in casu apostosiae, quae tamen difficultas non oriatur ex eo, quod potestas clavium limitibus sit circumscripta, sed ex indispositione apostatarum propria, quam vel ipsa experientia et historia ecclesiastica comprobat. Rari enim admodum sunt, qui post plenam a religione catholica apostasiam per sinceram poenitentiam redierint ad Ecclesiam. Ad rem enim Athanasius explicans verba s. Petri ad Simonem magum, *Poenitentiam age, ... si forte remittetur tibi cogitatio cordis tui* (Act. 8, 22.) animadvertit: „Quae verba non dubie proferuntur, sed ideo, quia affectus difficulter sanabiles non insanabiles quidem sunt, sed aegre tamen sanantur. Si enim prorsus emendari non potuisset, superfluum fuisset dicere: *Poenitentiam age de malitia tua et precare Dominum.* Itaque poenitentia in hac causa efficax est. Quia vero cum poenitentia magna cura opus est illis, qui ad malitiam indurati sunt, statim subjungit: *Si forte remittetur tibi cogitatio cordis tui. Nam in felle amaritudinis et vinculis injustitiae te esse video.*« (ex S. 3. c. Novatianos, Migne Patrol. gr. 26, 1318.) Cf. Cornelius a Lapide in h. l., qui cum pluribus Theologis hanc tuetur sententiam. Fatendum tamen est priorem sententiam communiorem esse apud

peccatum per poenitentiam; quomodo hic potuit sententiam suam ipse reprehendere? Ergo quia non potuit quod aedificaverat destruere, non contrarium dixisse eum, sed diversum advertimus. Quod enim contrarium est, se ipsum impugnat: quod diversum est, distinctam solet habere rationem. Ita autem

---

Patres. Speciminis gratia audiantur Athanasius et Chrysostomus. Ita ille (ep. 4. ad Serap. n. 13): „Neque ait (Apostolus), impossibile est poenitere, sed impossibile est obtentu poenitentiae nos renovare. Est autem ingens inter haec dicta discrimen. Is enim quem poenitet, peccare quidem desinit, retinet tamen vulnerum cicatrices. Qui autem baptizatur, veterem exuit hominem et renovatur superne genitus Spiritus gratia.“ Scite autem praemiserat: „Hebraeis autem scripsit (Apostolus), et ne illi poenitentiae obtentu existimarent juxta legis consuetudinem multa esse et quotidiana baptismata, ideo eos ad poenitentiam hortatur, unamque esse per baptismum renovationem, nec secundam superesse affirmat.“ Quibus similia habet s. Thomas 3. p. q. 84. a. 10. ad 1. Chrysostomus vero ita scribit (Hom. 9. n. 3. in h. l.): „Quid ergo? ejecta est poenitentia? Non poenitentia, absit! Sed quae rursum fit per lavacrum renovatio!..... Novos enim facere, solius est lavacri..... Poenitentiae autem est eos, qui novi facti sunt ac deinde a peccatis inveteraverunt, a vetustate liberare novosque reddere: ad illum autem splendorem non licet reducere; illic enim totum erat gratia.“ Utramque hujus loci explicationem s. Doctor noster proponit.

contrarium non est, ut alterum suffragetur alteri. Etenim quia de remittenda praedicavit poenitentia, debuit et de iis qui iterandum putant baptismum, non silere: et prius sollicitudinem nobis auferri oportuit, ut sciremus etiam post baptismum, si qui peccarent, donari eis posse peccatum; ne spe veniae destitutos iterandi baptismatis opinio vana perverteret: deinde iterandum non esse baptisma rationabili disputatione suadendum fuit.

8. De baptismate autem dictum verba ipsa declarant, quibus significavit impossibile esse lapsos renovari in poenitentiam; per lavacrum enim renovamur, per quod renascimur, sicut ipse Paulus dicit: *Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, ut quemadmodum surrexit Christus ex mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitae ambulemus* (Rom. 6, 4). Et alibi: *Renovamini spiritu mentis vestrae, et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est* (Ephes. 4, 23, 24). Et alibi: *Renovabitur sicut aquilae juventus tua* (Psal. 102, 5); quod etiam aquila, cum fuerit mortua, ex suis reliquiis renascitur, sicut per baptismatis sacramentum, cum fuerimus peccato mortui, renasci-

mur Deo, ac reformamur. Unum ergo baptisma docet, sicut alibi: *Una fides, unum,* inquit, *baptisma* (Ephes. 4, 5).

9. Illud quoque evidens, quod in eo qui baptizatur, crucifigitur Filius Dei; quia non potuit caro nostra abolere peccatum, nisi crucifixa esset in Christo Jesu. Denique scriptum est, quia *quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in mortem ipsius baptizati sumus.* Et infra: *Si enim complantati sumus similitudini mortis ejus, simul et resurrectionis erimus, scientes quia vetus homo noster simul confixus est cruci.* (Rom. 6, 3-6). Et ad Colossenses ait: *Consepulti ei per baptismum, in quo et consurrexistis* (Coloss. 2, 12). Quod ideo scriptum est, ut credamus quia ipse crucifigitur in nobis; ut per illum peccata nostra mundentur, ut ipse chirographum nostrum affigat cruci, qui solus potest donare delicta. Ipse in nobis principatus et potestates triumphat; quoniam de ipso scriptum est: *Principatus et potestates ostentavit, triumphans eos in semetipso* (Coloss. 2, 15).

10. Ergo quod ait in hac epistola, quae scribitur ad Hebraeos, impossibile esse *lapsos renovari in poenitentiam, rursus crucifigentes Filium Dei, et ostentatione tri-*

umphantes (Hebr. 6, 6), eo spectat, ut de baptismo dictum credamus, in quo crucifigimus Filium Dei in nobis; ut per illum nobis mundus crucifigatur, qui quadam triumphamus specie, dum similitudinem mortis ejus assumimus, qui principatus et potestates in sua cruce ostentavit ac triumphavit; ut in mortis ejus similitudinem nos quoque de principatibus, quorum jugum deponimus, triumphemus. Semel autem crucifixus est Christus, semel peccato mortuus; et ideo unum non plura baptismata.

11. Quid quod et supra doctrinam baptismorum praemisit? Et quia multa erant baptismata in lege, merito reprehendit illos qui perfecta dimittant, et principium verbi requirant. Docet nos scire oportere destructa esse universa legis baptismata, unum baptisma esse in Ecclesiae sacramentis. Hortatur autem nos, ut relinquentes initium verbi, ad perfectum tendamus: *Et hoc faciemus*, inquit, *siquidem permiserit Deus* (Ibid. 3); non potest enim sine favore Dei aliquis esse perfectus.

12. Possem quidem etiam illud dicere ei, qui hoc de poenitentia dictum putat; quia quae impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum: et potens est Deus

quando vult donare nobis peccata. etiam quae putamus non posse concedi. Et ideo quod nobis impossibile impetratu videtur. Deo donare possibile est. Nam et impossibile videbatur. ut peccatum ablueret aqua: denique Naaman syrus lepram suam mundari per aquam posse non credidit. Sed quod impossibile erat, fecit Deus esse possibile, qui tantam nobis donavit gratiam. Similiter impossibile videbatur per poenitentiam peccata dimitti; concessit hoc Christus apostolis suis, quod ab apostolis ad sacerdotum officia transmissum est. Factum est igitur possibile, quod impossibile videbatur. Sed tamen de baptismo dictum. ne quis iteraret, vera ratione persuadet.

CAPUT III.

Parabola filii prodigi Luc. 15, 11 ss. refelluntur Novatiani.

13. Neque enim Apostolus contra evidentem Christi doctrinam veniret, qui de peccatore poenitentiam agente comparationem posuit, eo quod peregre profectus acceptam a patre omnem substantiam devoraverit vivendo luxuriose, et postea panem patris desideraverit, cum vesceretur siliquis: et meruit stolam, annulum, calceamentum, im-

molationem quoque vituli, quae speciem habet passionis dominicae, per quam coeleste sacramentum nobis donatur.

14. Bene dicitur quia *peregre profectus est*, qui erat a sacris altaribus separatus; hoc est enim ab Hierusalem illa, quae in coelo est, civico quodam et domestico sanctorum separari domicilio. Unde et Apostolus ait: *Ergo jam non estis advenae atque peregrini, sed cives sanctorum, et domestici Dei* (Ephes. 2, 9).

15. *Et consumpsit*, inquit, *substantiam suam.* Merito consumpsit eam, cujus fides in operibus claudicabat: *Fides enim eorum quae sperantur, substantia est, rerum argumentum non apparentium* (Hebr. 11, 1). Et bona substantia fides, in qua spei est nostrae patrimonium.

16. Nec mirum si fame peribat, qui divino alimento egebat; cujus desiderio compulsus: *Surgam*, inquit, *et ibo ad patrem meum, et dicam illi: Pater, peccavi in coelum, et coram te.* Nonne advertitis id evidenter nobis expositum, quod emerendi gratia sacramenti ad precandum impellimur; et hoc auferre vultis, propter quod agitur poenitentia? Tolle gubernatori perveniendi spem, et in mediis fluctibus incertus errabit. Tolle

luctatori coronam. lentus jacebit in stadio. Tolle piscatori capiendi efficaciam, desinit jactare retia [1]). Quomodo ergo potest qui

[1]) Majori et prope dixerim *Ciceronе digna* eloquentia hoc argumentum proponit s. Cyprianus in aurea epistola ad Antonianum 52. n. 28., ubi ita in duritiam Novatianam invehit: Atque o frustrandae fraternitatis irrisio! o miserorum lamentantium et amentium caduca deceptio! o haereticae institutionis inefficax et vana traditio! hortari ad satisfactionis poenitentiam et subtrahere de satisfactione medicinam; dicere fratribus nostris: Plange et lacrymas funde, et diebus ac noctibus ingemisce, et pro abluendo et purgando delicto tuo largiter et frequenter operare (i. e. eleemosynas fac); sed extra Ecclesiam post omnia ista morieris, quaecumque ad pacem pertinent facies, sed nullam pacem, quam quaeris, accipies. Quis non statim pereat? quis non ipsa desperatione deficiat? quis non animum suum a proposito lamentationis avertat? Operari tu putas rusticum posse, si dixeris: Agrum peritia omni rusticitatis exerce, culturis diligenter insiste; sed nullam messem metes, nullam vindemiam premes, nullos oliveti tui fructus capies, nulla de arboribus poma decerpes. Vel si ei, cui dominium et usum navium suadens dicas: Materiam de excellentibus silvis mercare, frater, carinam praevalidis et electis roboribus intexe, clavo, funibus, velis, ut fabricetur atque armetur navis, operare; sed cum haec feceris, fructum de actibus ejus et cursibus non videbis. Praecludere est atque abscindere iter doloris ac poenitendi viam, ut cum in Scripturis omnibus Dominus Deus revertentibus ad se et poenitentibus blandiatur, nostra duritia et cru-

famem patitur animae suae, studiosius Deum precari, si sacram desperet alimoniam?

17. *Peccavi*, inquit, *in coelum, et coram te.* Fatetur utique peccatum ad mortem, ne quem vos agentem cujuslibet criminis poenitentiam, jure excludi putaretis; quando is qui in coelum peccavit, vel in regnum coeleste, vel in animam suam, quod est peccatum ad mortem, et peccavit coram Deo, cui soli dicitur: *Tibi soli peccavi, et malum coram te feci* (Psal. 50, 6).

18. Tam cito veniam meretur, ut venienti et adhuc longe posito occurrat pater: osculum tribuat, quod insigne est sacrae pacis: stolam proferri jubeat, quae vestis est nuptialis, quam si quis non habuerit, a convivio nuptiali excluditur: det annulum in manu ejus, quod est fidei pignus, et sancti Spiritus signaculum: calceamenta deferri praecipiat; celebraturus enim Pascha Domini, epulaturus agnum, tectum debet adversus omnes incursus bestiarum spiritalium morsusque serpentis habere vestigium: vitulum praecipiat occidi; quia *Pascha nostrum immolatus est Christus* (1 Cor. 5, 7). Etenim quotiescumque san-

---

delitate, dum fructus poenitentiae intercipitur, poenitentia ipsa tollatur etc.«

guinem Domini sumimus, mortem Domini annunciamus. Sicut ergo semel pro omnibus immolatus est, ita quotiescumque peccata donantur, corporis ejus sacramentum sumimus: ut per sanguinem ejus fiat peccatorum remissio.

19. Ergo evidentissime Domini praedicatione mandatum est etiam gravissimi criminis reis, si ex toto corde et manifesta confessione peccati poenitentiam gerant, sacramenti coelestis refundendam gratiam. Unde nihil vobis ad excusationem resedisse certum est.

CAPUT IV.

Respondet ad objectionem ex Matth. 12, 31 s. derivatam.

20. Perlatum est tamen ad nos, etiam illud vos objicere solere, quod dicatis scriptum esse: *Omne peccatum et blasphemia remittetur hominibus: spiritus autem blasphemiae non remittetur hominibus. Et quicumque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc seculo, neque in futuro* (Matth. 12, 31, 32). Quo exemplo omnis

assertio vestra destruitur et absolvitur; scriptum est enim: *Omne peccatum et blasphemia remittetur hominibus.* Cur igitur non remittitis? Cur alligatis vincula, quae non solvitis? Cur nodos nectitis, quos non relaxatis? Remittite ceteris: agite de iis, quos peccantes in Spiritum sanctum evangelica auctoritate in perpetuum astringi putatis.

21. Et tamen quos astringat, considerемus, repetentes superiora lectionis ipsius, ut evidentius comprehendamus. Dicebant judaei: *Hic non ejicit daemonia nisi in Beelzebub principe daemoniorum.* Respondit Jesus: *Omne regnum divisum contra se destruetur, et omnis civitas vel domus divisa contra se, non stabit; si enim satanas satanam ejicit, adversum se divisus est: quomodo ergo stabit regnum ejus? Quod si ego in Beelzebub ejicio daemonia, filii vestri in quo ejiciunt* (ib. 24 ss.)?

22. De his utique expressum videmus, qui Dominum Jesum in Beelzebub ejicere daemonia loquebantur, quibus sic respondit Dominus, quod satanae haereditas in iis esset, qui satanae compararent Salvatorem omnium, et in regno diaboli constituerent gratiam Christi. Et ut cognosceremus quia de hac dixit blasphemia, adjunxit: *Progenies vi-*

perarum, quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali? Hos ergo qui haec loquuntur, negat ad veniam pertinere.

23. Denique Petrus Simoni, qui magicae artis consuetudine depravatus, putasset quod gratiam Christi per impositionem manus, atque infusionem Spiritus sancti compararet pecunia. ait: *Non est tibi pars, neque sors in hac fide; quia cor tuum non est rectum apud Deum. Poenitentiam itaque age ab hac nequitia tua, et precare Dominum, si forte remittatur tibi haec recordatio cordis tui; in obligatione enim iniquitatis, et amaritudine fellis video te esse* (Act. 8, 21-23). Vides quod hunc magica vanitate blasphemantem in Spiritu sancto apostolica auctoritate condemnet; et eo magis quia puram conscientiam fidei non habebat; et tamen non interclusit ei spem veniae, quem invitavit ad poenitentiam?

24. Responsum est igitur a Domino blaphemiae pharisaeorum; et ideo his potestatis suae gratiam negat, quae in remissione peccatorum est, qui coelestem ejus potestatem diabolico fultam suffragio vindicarent. Eos quoque asserit diabolico uti spiritu, qui separarent Ecclesiam Domini; ut omnium temporum haereticos et schismaticos comprehen-

deret, quibus indulgentiam negat; quod omne peccatum circa singulos est, hoc in universos. Soli enim sunt qui volunt solvere Christi gratiam, qui Ecclesiae membra discerpunt, propter quam passus est Dominus Jesus Spiritusque sanctus datus est nobis.

25. Denique ut sciatis quia de dispersoribus dicit, sic habemus scriptum: *Qui non est mecum, contra me est: et qui non colligit mecum, dispergit* (Matth. 12, 30). Et ut sciremus de his dictum, statim subjunxit: *Ideo dico vobis, omne peccatum et blasphemia remittetur hominibus, spiritus autem blasphemiae non remittetur hominibus* (Ib. 31). Cum dicit: *Ideo dico vobis*; nonne evidenter hoc prae ceteris a nobis intelligi voluit? Meritoque adjunxit: *Arbor bona bonos fructus facit, mala autem arbor malos fructus facit* (Ib. 7, 17); congregatio enim mala bonum facere fructum non potest. Arbor itaque congregatio est, fructus bonae arboris filii Ecclesiae sunt.

26. Et ideo revertimini ad Ecclesiam, si qui vos separastis impie. Omnibus enim conversis pollicetur veniam; quia scriptum est: *Omnis quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit* (Joël. 2, 32). Denique etiam judaeorum populus, qui dicebat de

Domino Jesu: *Daemonium habet* (Joan. 8, 48); qui dicebat: *In Beelzebub ejicit daemonia* (Luc. 11, 15): qui crucifixit Dominum Jesum, Petri praedicatione vocatur ad baptismum, ut sceleris tanti merita deponat.

27. Sed quid mirum, si salutem negatis aliis, qui vestram recusatis, licet illi nihil differant, qui a vobis poenitentiam petunt. Arbitror enim quod etiam Judas potuisset tanta Dei miseratione non excludi a venia, si poenitentiam non apud judaeos, sed apud Christum egisset. *Peccavi*, inquit, *quod tradiderim sanguinem justum.* Responderunt: *Quid ad nos? Tu videris* (Matth. 27, 4). Quae vox alia vestra est, cum etiam minoris peccati reus vobis factum proprium confitetur? Quid respondetis aliud, nisi hoc: *Quid ad nos? Tu videris.* Hunc sermonem laqueus sequitur: eo feraliore poena, quo culpa est minor.

28. Sed si isti non convertuntur, vel vos revertimini, qui lapsu vario de innocentiae fideique praecelso fastigio decidistis. Bonum Dominum habemus, qui velit donare omnibus, qui te per prophetam vocavit dicens: *Ego sum, ego sum qui deleo iniquitates;*

et memor non ero: tu autem memor esto, et judicemur (Isaï. 43, 25) [1]).

[1]) Duplex occasione verborum Christi Matth. 12, 31 s. oritur quaestio: altera, quodnam peccatum *Spiritus blasphemia* dicatur; altera, quo sensu illud a Domino *irremissibile* pronuncietur. Diversae sunt de priori theologorum interpretumque sententiae, quas cf. apud Gerbert *in disquisitione de peccato in Spiritum s.*; Cornelium a Lapide in h. l. „Plerique, inquit Ambrosius L. 7. in Lucam n. 121. illud tenent, ut eam blasphemiam dicant non esse veniabilem, si quis Christum dicat in Beelzebub ejicere daemonia, non potestate divina.“ Cui consentiens Pacianus scribit (ep. 3. ad Sympron. n. 15): „Habes supra scriptum, cum Dominus daemonia verbo fugaret et virtutes multas speciali vigore compleret, dixisse pharisaeos: Hic non expellit daemonia nisi in Beelzebub principe daemoniorum, hoc est in Spiritum s. deliquisse, in ea blasphemasse, quae per Spiritum s. gerebantur. In ceteris quippe peccatis aut errore labimur aut metu frangimur aut carnis infirmitate superamur. Haec caecitas est, non videre quod videas, et s. Spiritus opera diabolo deputare eamque gloriam Domini, qua diabolus ipse superatur, diaboli appellare virtutem. Hoc est ergo quod non dimittetur, reliqua bonis poenitentibus donantur.“ Sat clarum scil. est, nomine blasphemiae Spiritus illud significari atrocissimum peccatum, quo opera manifesto divina in hominum salutem facta daemoni adscribuntur, ac proin veritati manifestae mentis oculi pertinaciter occluduntur. Cf. s. Athanasium qui (ep. 4. ad Serap. n. 16) egregie de hoc peccato disserit. Si vero quaeritur, quo sensu hoc peccatum dicatur *irre-*

CAPUT V.

Quo sensu s. Petrus Simoni mago veniam dubitanter promittat. Exhortatio ad poenitentiam.

29. Referunt tamen quaestionem de verbis apostoli Petri. Quia dixit: *Ne forte* (Act.

missibile, egregie id explicat s. Thomas (2. 2. q. 14. a. 3.) scribens: „Dicitur irremissibile, non quod nullo modo remittatur, sed quia quantum est de se, habet meritum ut non remittatur. Et hoc dupliciter, uno modo quantum ad poenam. Qui enim ex ignorantia vel infirmitate peccat, minorem poenam meretur. Qui autem ex certa malitia peccat, non habet aliquam excusationem, unde ejus poena minuatur. Similiter etiam qui blasphemabat in Filium hominis, ejus divinitate nondum revelata, poterat habere aliquam excusationem propter infirmitatem carnis, quam in eo aspiciebat, et sic minorem poenam merebatur: sed qui ipsam divinitatem blasphemabat opera Spiritus sancti diabolo attribuens, nullam excusationem habebat, unde ejus poena diminueretur..... Alio modo potest intelligi quoad culpam, sicut aliquis morbus dicitur incurabilis, secundum naturam morbi, per quem tollitur id, per quod potest morbus curari: puta cum morbus tollit virtutem naturae vel inducit fastidium cibi et medicinae, licet talem morbum Deus possit curare; ita et peccatum in Spiritum s. dicitur irremissibile secundum suam naturam, in quantum excludit ea, per quae fit remissio peccatorum. Per hoc tamen non praecluditur via remittendi et sanandi omnipotentiae et misericordiae Dei, per quam ali-

8. 22), putant non confirmasse Petrum, ut agenti poenitentiam peccatum remitteretur.

quando tales quasi miraculose spiritualiter sanantur.“ Quare hoc peccatum *irremissibile* non dicitur *absolute* et *simpliciter*, sed tantum *quadantenus* et *secundum quid*, quatenus scil. difficile est de illo *ut oportet* poenitentiam agere illiusque consequi veniam propter mentis excaecationem cordisque indurationem, cujus peccatum illud nefandum causa esse solet. Et revera Christum difficultatem tantum non impossibilitatem veniae consequendae inculcare, ipse videtur suadere contextus. Sicut enim dicit, Spiritus blasphemiam non remitti, ita affirmat: *Quicunque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei.* Sed revera non omne peccatum in Filium hominis dimittitur. Ergo ne falsa sint Veritatis verba, iis significatur, non factum sed *facilitas* consequendae veniae. Quod si verba: *Omne peccatum in Filium hominis remittetur ei*, significant *facilitatem* consequendae remissionis, propositio opposita: *Spiritus blasphemia non remittetur*, non impossibilitatem sed *difficultatem* tantum veniae obtinendae exprimet, cujus difficultatis specialis rationem egregie reddit s. Thomas verbis supra allatis, quibus similia habet s. Athanasius ita ep. 4. ad Serapionem n. 15. scribens: „Quidam humana spectantes, Dominum vident sitientem vel laborantem vel patientem, et Salvatori velut homini obtrectant: magnopere quidem peccant, possunt tamen celeriter poenitentiam agendo, veniam consequi, cum habeant pro excusatione imbecillitatem corporis..... Cum autem rursus quidam divinitatis opera considerantes, dubitaverint de corporis natura, ipsi quoque maxime peccant, quod, licet eum videant comedentem

Sed considerent de quo loquatur, hoc est, de Simone, qui non ex fide crederet, sed dolum cogitaret. Denique et Dominus dicenti ei, cujus non plenam sinceritatem videret: *Sequar te*, ait: *Vulpes foveas habent* (Matth. 8, 20). Quem ergo Dominus ante baptismum prohibuit sequi, quoniam fraudulentum videbat: miraris si post baptismum praevaricantem non absolvit apostolus, quem in obligatione iniquitatis manere pronunciavit?

30. Sed hoc illis responsum sit. Ego autem nec Petrum dubitasse dico, nec verbi

et patientem, phantasma nihilominus ipsum arbitrentur: verum illis item cito resipiscentibus veniam Christus donare potest: quod et ipsi pro excusatione habeant magnitudinem operum Domini, is potestatem excedentium. Verum postea quam utrorumque insciam et caecitatem supergressi, qui videntur habere legi scientiam (quales tum erant pharisaei), in insaniam versi fuerint, et quod in corpore est Verbum, omnino negaverint aut divinitatis opera diabolo ejusque daemonibus attribuerint, merito pro tali impietate indeprecabili sunt supplicio obnoxii.« Ad rem s. Joannes Chrysostomus (H. 41. al. 42. in Matth. n. 3): „Blasphemia Spiritus non remittitur, ne poenitentibus quidem. Et qua ratione stare possit illud? Nam et hoc peccatum poenitentibus remissum fuit. Multi enim illorum, qui talia dixerunt, postea crediderunt omniaque ipsis remissa sunt. Quid igitur hic dicit? Peccatum hoc ceteris multo minus esse ignoscibile.«

unius praejudicio tantam causam strangulandam arbitror. Nam si putant dubitasse Petrum, numquid et Deus dubitavit? qui ait ad Hieremiam prophetam: *Sta in atrio domus Domini, et responsum dabis omni Judae, iis qui veniunt adorare in domo Domini, omnia verba quae constitui tibi respondere illis, noli auferre verbum: forsitan audient, et avertentur* (Jerem. 26, 2, 3). Dicant ergo et Deum ignorasse quid esset futurum.

31. Sed non ignorantia eo verbo exprimitur, sed in Scripturis divinis frequens hujusmodi consuetudo advertitur; eo quod simplex sit elocutio. Siquidem et ad Ezechielem dicit Dominus: *Fili hominis, mittam ego te ad domum Israël, ad eos qui me exacerbaverunt ipsi, et patres eorum usque in hodiernum, et dices ad eos: Haec dicit Dominus, si forte audient et terrebuntur* (Ezech. 2, 4. 5). Nesciebat ergo eos posse aut non posse converti? Non ergo semper dubitantis ista est elocutio.

32. Denique ipsi sapientes seculi, qui omnem gloriam suam statuunt in expressione verborum, quod latine *forte* dicimus, graece τάχα non ubique pro dubitatione posuerunt. Aiunt itaque dixisse primum suorum poëtam

ἰ, τάχα χήρα ἔσομαι, quod est: Cito vidua ero. Et alibi: *τάχα γάρ σε καταχιανέουσιν Ἀχαιοὶ πάντες ἐφορμηθέντες*. Non enim dubitaret in omnibus simul insurgentibus, unum facile ab universis posse prosterni.

33. Sed nos nostris magis quam alienis utamur. Denique habes in Evangelio quia ipse Filius de Patre ait (cum misisset servos ad vineam suam et occidissent) dixisse Patrem: *Mittam Filium meum dilectissimum, forsitan ipsum verebuntur* (Matth. 21, 37). Et alibi ex sua persona Filius ait: *Neque me scitis, neque Patrem meum. Si enim me sciretis, et Patrem meum forsitan sciretis* (Joan. 8, 19).

34. Si ergo his verbis usus est Petrus, quibus Deus usus est sine praejudicio scientiae suae: cur non accipiamus et Petrum his usum sermonibus sine suae fidei praejudicio? Neque enim poterat dubitare de Christi munere, qui sibi solvendorum peccatorum dederat potestatem; praesertim cum versutiis haereticorum locum non deberet relinquere, qui ideo volunt spem hominum destituere, ut iterandi baptismatis apud desperantes facilius inducant persuasionem.

35. Sed apostoli hoc habentes, secundum Christi magisterium poenitentiam docuerunt,

spoponderunt veniam, culpam relaxaverunt, sicut et docuit David dicens: *Beati quorum remissae sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata. Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum* (Psal. 31, 1, 2). Utrumque enim beatum dixit, et cujus iniquitas remittitur per lavacrum, et cujus peccatum tegitur operibus bonis. Qui enim agit poenitentiam, non solum diluere lacrymis debet peccatum suum, sed etiam emendationibus factis operire et tegere delicta superiora, ut non ei imputetur peccatum.

36. Ergo tegamus lapsus nostros posterioribus factis, mundemus fletibus; ut audiat nos Dominus Deus noster ingemiscentes, sicut audivit lacrymantem Ephraem, quemadmodum scriptum est, dicente Deo: *Audiens audivi Ephraem lacrymantem.* Et ipsa verba Ephraem lamentantis expressit dicens: *Castigasti me, et castigatus sum, sicut vitulus non sum edoctus* (Jerem. 31, 18). Vitulus enim ludit, et praesepia deserit; et ideo Ephraem sicut vitulus non est edoctus, longe positus a praesepi; quia praesepe Domini deseruit, et Hieroboam secutus, vitulos adoravit, quod prophetia futurum per Aaron indicaverat, sic lapsurum populum judaeorum. Ideoque agens poenitentiam dicit: *Con-*

verte me, et convertar; quia tu es Dominus Deus meus. Quia in novissimo captivitatis meae poenitentiam egi: et postquam cognovi, ingemui super dies confusionis, et subjectus sum tibi; quia accepi opprobrium, et demonstravi te (Jerem. 31, 19).

37. Advertimus quomodo agenda sit poenitentia, quibus sermonibus, quibus fletibus; ut peccati dies, dies confusionis appelletur: confusio est enim, quando Christus negatur.

38. Et ideo subjiciamus nos Deo, et non subditi simus peccato: et delictorum nostrorum memoriam recensentes, tamquam opprobrium erubescamus, non velut quandam gloriam praedicemus, sicut quidam expugnata pudicitia et oppressa justitia gloriantur: et tanta fiat conversio, ut qui Deum non agnoscebamus, ipsi eum jam aliis demonstremus: motus autem Dominus tali conversione nostra, respondeat: *A juventute mea dilectus mihi est filius Ephraem, puer in deliciis; quoniam eo quod sermones mei in ipso sunt, memoria memor ero ejus; propterea festinavi super illum, misericordia miserebor ejus, dicit Dominus.*

39. Quam autem misericordiam nobis polliceatur, infra ostendit dicens: *Inebriavi omnem animam sitientem, et omnem ani-*

mam esurientem satiavi. Ideo exsurrexi, et vidi, et somnus meus mihi dulcis est (Jer. 31, 20 ss.). Advertimus quod peccantibus Dominus sacramenta promittat sua: et ideo omnes convertamur ad Dominum.

CAPUT VI.

Exhortatio ad poenitentiam. Qua ratione agenda sit.

40. Sed si isti non convertuntur vel vos revertimini, qui lapsu vario de innocentiae fideique praecelso fastigio decidistis. Bonum Dominum habemus qui velit donare omnibus, qui te per prophetam vocavit dicens: *Ego sum, ego sum qui deleo iniquitates tuas, et memor non ero: tu autem memor esto, ut judicemur. Ego*, inquit, *memor non ero: tu autem memor esto* (Isaï. 43, 25), hoc est: Non revoco illa, quaecumque delicta donavi tibi, velut quadam oblivione tecta sint: *Tu autem memor esto.* Ego, inquit, memor non ero propter gratiam, tu memor esto propter correctionem: memor esto, ut scias donatum esse peccatum; ne glorieris quasi innocens, ne te justificando, plus ingraves: sed si vis justificari, fatere delictum tuum. Solvit enim criminum nexus verecunda confessio peccatorum.

41. Vides quid a te exigat Deus tuus, ut memor sis ejus quam accepisti gratiae. et non glorieris quasi non acceperis. Vides qua remissionis pollicitatione te provocet ad confitendum: vide ne reluctando mandatis coelestibus, in indevotionem judaeorum incidas, quibus dicit Dominus Jesus: *Cantavimus vobis, et non saltastis: lamentavimus, et non plorastis* (Luc. 7. 32).

42. Vilis sermo, sed non vile mysterium. Et ideo cavendum ne quis vulgari quadam sermonis hujus deceptus interpretatione, putet nobis saltationis lubricae histrionicos motus, et scenae deliramenta mandari: haec etiam in adolescentula aetate vitiosa sunt: sed saltationem mandavit, quam saltavit David ante arcam Domini. Totum enim decet, quidquid defertur religioni: ut nullum obsequium quod proficiat ad cultum et observantiam Christi, erubescamus.

43. Non ergo illa deliciarum comes, atque luxuriae praedicatur saltatio, sed qua unusquisque corpus attollat impigrum, nec humi pigra jacere membra, vel tardis sinat torpere vestigiis. Saltabat spiritaliter Paulus, cum se pro nobis extenderet, et posteriora obliviscens, priora appetens contenderet ad bravium Christi. Tu quoque cum ad

baptismum venis, manus elevare, pedes quibus ad aeterna conscendas, velociores habere moneris. Haec saltatio fidei socia, gratiae comes.

44. Hoc est ergo mysterium: *Cantavimus vobis*, novi utique canticum testamenti: *et non saltastis*, hoc est, non elevastis animam ad spiritalem gratiam. *Lamentavimus, et non plorastis*, hoc est, non egistis poenitentiam. Et ideo derelictus est judaeorum populus: quia nec egit poenitentiam, et gratiam refutavit. Per Joannem poenitentia, per Christum gratia. Istam quasi Dominus donat, illam quasi servus annunciat. Utrumque igitur Ecclesia custodit, ut et consequatur gratiam, et non abjiciat poenitentiam; gratia enim munus largientis est, poenitentia delinquentis remedium.

45. Scivit Hieremias magnum remedium esse poenitentiae, quam in Threnis suis suscepit pro Hierusalem, et ipsam inducit agentem Hierusalem dicens: *Plorans ploravit in nocte, et lacrymae ejus in maxillis ejus, nec est qui consoletur eam ab omnibus qui diligunt eam. Viae Sion lugent.* Et adjecit: *In his ergo fleo, oculi mei caligaverunt a fletu, quia elongavit a me, qui me consolabatur* (Thren. 1, 2, 16). Advertimus

quod hunc malorum suorum acerbissimum cumulum arbitrabatur, quia deerat qui consolaretur moerentem. Quomodo ergo vos ipsam consolationem aufertis, qui spem relaxandae negatis poenitentiae?

46. Sed audiant qui agunt poenitentiam, quomodo agere debeant, quo studio, quo affectu, qua mentis intentione, qua intimorum concussione viscerum, qua cordis conversione: *Vide*, inquit, *Domine, quia tribulor, venter meus turbatus est a fletu meo, conversum est cor meum in me* (Thren. 1, 20).

47. Cognovisti intentionem animi, fidem mentis cognosce et habitum corporis. *Sederunt*, inquit, *in terra, tacuerunt seniores filiae Sion, et imposuerunt terram super caput suum, praecinxerunt se cilicio, deduxerunt in terram principes, virgines Jerusalem defecerunt in lacrymis, oculi mei caligaverunt, turbatus est venter meus, effusa est in terra gloria mea* (Ib. 2, 10, 11).

48. Sic flevit et Ninive populus, et denunciatum excidium civitatis evasit; tanta est enim poenitentiae medicina, ut mutare videatur suam Deus sententiam. In te est igitur ut evadas: vult rogari Dominus, vult de se sperari, vult sibi supplicari. Homo es,

et vis rogari, ut ignoscas, et putas Deum tibi non roganti ignoscere?

49. Ipse Dominus Jerusalem flevit, ut quia ipsa flere nolebat, Domini lacrymis ad veniam pertineret. Ipse nos flere vult, ut evadere possimus, sicut habes scriptum in Evangelio: *Filiae Jerusalem, nolite me flere, sed vos ipsas flete* (Luc. 23, 28).

50. Flevit David, et meruit ut mortem populi pereuntis divina removeret misericordia; quando tribus sibi propositis optionibus, eam tamen in qua majorem Domini miserationem experiretur, elegit. Quid erubescis tu peccata tua flere; cum Deus etiam prophetas jusserit flere pro populis?

51. Denique et Ezechiel jussus est flere Jerusalem, et accepit librum, in cujus capite scripta erat: *Lamentatio, et melos, et vae* (Ezech. 2, 9), duo tristia et unum delectabile; quoniam ille salvus erit in futurum, qui in hoc seculo plus fleverit: *Cor enim sapientium in domo luctus, et cor stultorum in domo epularum* (Eccli. 7, 5). Et ipse Dominus ait: *Beati qui nunc fletis, quia ridebitis* (Luc. 6, 21).

CAPUT VII.

Ad flenda et confitenda peccata hortatur.

52. Fleamus igitur ad tempus, ut exsultemus in aeternum. Timeamus Dominum, praeveniamus eum confitendo peccata nostra, corrigamus lapsus nostros, emendemus errorem; ne et de nobis dicatur: *Heu me, anima mea, quia periit reverens a terra, et qui corrigat in hominibus non est* (Mich. 7, 2).

53. Quid vereris apud bonum Dominum tuas iniquitates fateri? *Dic*, inquit, *iniquitates tuas, ut justificeris* (Isaï. 43, 26). Adhuc reo culpae justificationis praemia proponuntur; ille enim justificatur, qui proprium crimen sponte agnoverit: denique: *Justus in exordio sermonis accusator est sui* (Prov. 18, 17). Novit omnia Dominus, sed exspectat vocem tuam; non ut puniat, sed ut ignoscat: non vult ut insultet tibi diabolus, et celantem peccata tua arguat. Praeveni accusatorem tuum: si te ipse accusaveris, accusatorem nullum timebis: si te detuleris ipse, etsi mortuus fueris, revivisces.

54. Veniet ad monumentum tuum Christus, et si viderit flere pro te Martham boni

feminam ministerii, flere Mariam quae attente audiebat verbum Dei, sicut sancta Ecclesia quae optimam partem sibi elegit; movebitur misericordia, cum viderit in tuo obitu lacrymas plurimorum, et dicet: *Ubi posuistis eum* (Joan. 11, 34)? hoc est, in quo reorum statu est, in quo poenitentium ordine? Videam quem fletis, ut lacrymis suis ipse me moveat? Videam si jam peccato ei cujus venia poscitur, defunctus est?

55. Dicet ei plebs: *Veni et vide.* Quid est, *Veni?* Hoc est, veniat peccatorum remissio, veniat defunctorum vita, mortuorum resurrectio, veniat et in hunc peccatorem regnum tuum.

56. Veniet, et levari lapidem jubebit, quem cervicibus peccatoris lapsus imposuit. Potuit removere lapidem imperio sermonis; jubenti enim Christo etiam insensibilis solet natura obedire: poterat tacita vi operationis occultae transferre saxum sepulcri, in cujus passione remotis subito lapidibus, plurima defunctorum sepulcra patuerunt: sed hominibus jussit ut removerent lapidem; in veritate quidem, ut increduli crederent quod videbant, et aspicerent resurgentem mortuum: in typo autem, quod nobis donaret, ut levaremus delictorum onera, moles quasdam re-

orum. Nostrum est onera removere, illius est resuscitare, illius educere de sepulcris exutos vinculis.

57. Videns itaque grave onus peccatoris, illacrymat Dominus Jesus: solam enim flere non patitur Ecclesiam. Compatitur dilectae suae, et dicit defuncto: *Veni foras* (Ibid. 43), hoc est: Qui jaces in tenebris conscientiae, et delictorum tuorum sordibus, quodam reorum carcere, exi foras, delictum proprium prode, ut justificeris: *Ore enim confessio fit ad salutem* (Rom. 10, 10).

58. Si confessus fueris, a Christo vocatus, claustra rumpentur, et omnia solventur vincula, etiam si corruptelae corporeae foetor gravis sit. Quatriduum enim habebat ille, cujus foetebat in tumulo caro: cujus autem caro non vidit corruptionem, triduo fuit in sepulcro; carnis enim vitia nescivit, quae ex quatuor constat elementorum substantiis. Quantuslibet ergo mortui foetor sit, aboletur omnis, ubi sacrum redoleverit unguentum: et resurgit defunctus, et solvi jubentur ejus vincula, qui adhuc in peccato est: tollitur velamen de facie ejus, quod veritatem gratiae quam acceperat, obumbrabat. Sed quia venia donatus est, revelare faciem, aperire

vultum jubetur: non habet enim quod erubescat, cui peccatum remissum est.

59. In tanta vero Domini gratia tantoque divini muneris miraculo, cum oporteret universos laetari, commovebantur impii, et adversus Christum concilium congregabant: Lazarum quoque interficere volebant. Nonne merito eorum successores vos fore cognoscitis, quorum duritiae heredes estis? Nam et vos indignamini, et contra Ecclesiam congregatis concilium; quia videtis mortuos in Ecclesia reviviscere, et peccatorum indulta venia resuscitari. Itaque quod in vobis est, per invidiam rursus vultis interficere suscitatos.

60. Sed Jesus non revocat beneficia, imo cumulo liberalitatis amplificat: revisit sollicite resuscitatum, et celebratae resurrectionis gratia laetus ad coenam venit, quam ei sua praeparavit Ecclesia, in qua ille qui fuerat mortuus, unus inter discumbentes cum Christo invenitur.

61. Tunc mirantur omnes qui vident puro utique obtutu mentis, qui invidere non norunt; tales enim Ecclesia filios habet. Mirantur, ut dixi, quomodo ille qui jacebat in tumulo heri et nudiustertius, unus sit de discumbentibus cum Domino Jesu.

62. Ipsa Maria mittit unguentum in pedes Domini Jesu. Ideo forte in pedes, quia unus de infimis ereptus est morti; omnes enim corpus Christi sumus, sed alii forte superiora membra sunt. Os erat Christi Apostolus, qui dicebat: *Experimentum quaeritis ejus, qui in me loquitur Christus* (2 Cor. 13, 3). Os ejus prophetae, per quos loquebantur futura: utinam et ego pes ejus esse merear, et mittat in me Maria unguentum suum pretiosum, et ungat, et peccatum extergat.

63. Quod igitur de Lazaro legimus, in unoquoque debemus converso peccatore credere: qui licet foetorem habeat, tamen fidei pretioso emundatur unguento: tantum enim gratiae fides habet, ut ubi ante diem foetebat mortuus, illic bono odore tota repleatur domus.

64. Foetebat Corinthia domus, quando scriptum est de ea: *Auditur inter vos fornicatio, et talis fornicatio, qualis nec inter gentes* (1 Cor. 5, 1). Foetor erat, quia modicum fermentum totam massam corruperat. Coepit bene olere, cum dicitur: *Si cui quid donastis, et ego. Nam et ego quod donavi, propter vos in persona Christi* (2 Cor. 2, 10). Itaque, liberato peccatore, factum est

in ea gaudium magnum, et redoluit domus tota suavitate gratiae. Unde bene conscius Apostolus quod omnes apostolicae remissionis perfudisset unguento, ait: *Christi bonus odor sumus Deo in his, qui salvi fiunt* (Ibid. 15).

65. Hujus igitur effusione unguenti laetantur omnes, solus Judas contradicit. Ergo et nunc qui praevaricator est, contradicit: reprehendit, qui proditor: sed a Christo ipse reprehenditur, qui dominicae remedium mortis ignorat, et tantae mysterium sepulturae non intelligit. Ideo enim et passus et mortuus est Dominus, ut nos redimeret a morte. Hoc excellentissimum indicat pretium suae mortis, quo peccator absolvitur, et in novam assumitur gratiam; ut veniant et mirentur omnes quomodo cum Christo recumbant, et laudantes Deum, dicant: *Manducemus et epulemur; quia hic mortuus erat, et revixit: perierat, et inventus est* (Luc. 15, 24). Si quis autem infidelis objecerit, quare cum publicanis et peccatoribus manducat; respondetur ei: *Non opus est sanis medicus, sed his qui male habent* (Matth. 9, 12).

CAPUT VIII.

Oratio ut Deus ipsum suscitet condolendique peccatoribus impertiat affectum.

66. Ostende igitur medico vulnus tuum, ut sanari possis. Etsi non monstraveris, novit: sed a te expetit audire vocem tuam. Absterge lacrymis cicatrices tuas. Sic peccatum mulier illa in Evangelio foetoremque sui erroris abstersit, sic culpam diluit; cum Jesu pedes lacrymis lavat.

67. Utinam mihi quoque pedum tuorum lutum, Jesu, reserves, quos dum in me deambulas, inquinasti. Utinam sordes vestigiorum tuorum detergendas mihi offeras, quas ego actu meo tuis affixi gressibus. Sed unde mihi aqua viva, qua pedes tuos possim lavare? Si aquam non habeo, habeo lacrymas, quibus dum pedes tuos lavo, utinam me ipsum diluam! Unde mihi, ut de me dicas: *Dimissa sunt ejus peccata multa, quoniam dilexit multum* (Luc. 7, 47). Plus debuisse me fateor, et plus dimissum mihi, qui de forensium strepitu jurgiorum, et a publicae terrore administrationis ad sacerdotium vocatus sum; et ideo vereor ne ingratus inveniar, si minus diligam, cui plus dimissum est.

68. Sed non omnes mulierem istam aequare possunt, quae etiam Simoni, qui prandium Domino dabat, merito praelata est: quae omnibus qui volunt veniam promereri, magisterium praestitit osculando pedes Christi, lacrymis lavando, tergendo crinibus, ungendo unguento.

69. In osculo insigne caritatis est; et ideo dicit Dominus Jesus: *Osculetur me ab osculo oris sui* (Cant. 1, 1). Capilli quid significant, nisi ut noveris, inclinata omni infularum dignitate secularium, obsecrandam indulgentiam; ut ad terram flens te ipse prosternas, ut humi jacens moveas misericordiam? In unguento quoque bonae conversionis exprimitur odor. Rex nempe erat David, et dicebat: *Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo* (Psal. 6, 7). Et ideo tantam gratiam meruit, ut ex ejus familia virgo eligeretur, quae nobis partu proprio Christum ederet. Ideo et ista in Evangelio praedicatur mulier.

70. Tamen si hanc aequare non possumus, scit Dominus Jesus et infirmis subvenire, ubi non est quae possit parare convivium, quae deferre unguentum, quae fontem aquae vivae secum portare. Venit ipse ad sepulcrum.

71. Utinam ergo ad hoc monumentum meum digneris accedere, Domine Jesu, tuis me lacrymis laves: quoniam durioribus oculis non habeo tantas lacrymas, ut possim mea lavare delicta. Si illacrymaveris pro me, salvus ero: si dignus fuero lacrymis tuis, foetorem abstergo delictorum omnium: si fuero dignus ut paulisper illacrymes, vocabis me de monumento hujus corporis, et dices: Exi foras; ut non intra corporis hujus angustias inclusae teneantur cogitationes meae: sed egrediantur ad Christum, in lumine versentur; ut non cogitem opera tenebrarum, sed opera lucis. Qui enim peccatum cogitat, intra suam conscientiam studet se ipse includere.

72. Voca ergo foras servum tuum. Quamvis ligatus vinculis peccatorum meorum, vinctos habeam pedes, innexas manus, et cogitationibus et operibus mortuis jam sepultus, te vocante, liber egrediar, et inveniar unus de discumbentibus in convivio tuo, et domus tua pretioso replebitur unguento; si quem redimere dignatus es, custodieris. Dicetur enim: Ecce ille non in Ecclesiae nutritus sinu, non edomitus a pero, sed raptus a tribunalibus, abductus de vanitatibus seculi hujus, a praeconis voce ad psalmistae assue-

factus canticum, in sacerdotio manet non virtute sua, sed Christi gratia, et inter convivas mensae coelestis recumbit.

73. Serva, Domine, munus tuum, custodi donum quod contulisti etiam refugienti. Ego enim sciebam quod non eram dignus vocari episcopus; quoniam dederam me seculo huic: sed gratia tua sum quod sum. Et sum quidem minimus omnium episcoporum et infimus merito; tamen quia et ego laborem aliquem pro sancta Ecclesia tua suscepi, hunc fructum tuere; ne quem perditum vocasti ad sacerdotium, eum sacerdotem perire patiaris. Ac primum da ut condolere norim peccantibus affectu intimo; haec enim summa virtus, quia scriptum est: *Et non gaudebis super filios Juda in die perditionis eorum, et ne magna loquaris in die tribulationis eorum* (Abdiae 12): sed quotiescumque peccatum alicujus lapsi exponitur, compatiar: nec superbe increpem, sed lugeam et defleam; ut dum alium fleo, me ipsum defleam dicens: *Justificata est magis Thamar, quam ego* (Gen. 38, 26).

74. Fortasse adolescentula lapsa sit, occasionibus quae delictorum fomites sunt, decepta ac praecipitata sit; peccamus et seniores. Repugnat in nobis lex hujus carnis

legi mentis nostrae, et captivos nos trahit in peccatum, ut faciamus quod nolumus. Illi de aetate suppetit excusatio, mihi jam nulla; illa enim debet discere, nos docere. *Ergo justificata est magis Thamar, quam ego.*

75. Incusamus alicujus avaritiam, recordemur si nihil ipsi avare fecimus: et si fecimus, quoniam radix est malorum avaritia, et tamquam sub terra occulte in nostro serpit corpore: dicamus singuli: *Justificata est magis Thamar, quam ego.*

76. Si commoti fuerimus in quemqnam graviter, leviorem causam laïcus habet quam episcopus, eo quod commotus egerit aliquid: retractemus nobiscum, et dicamus: Justificatus est magis iste, qui commotionis arguitur, quam ego. Haec enim si dicamus, ipsi nobis cavemus; ne dicat nobis Dominus Jesus, aut quisquam de discipulis ejus: *Festucam in oculo fratris tui vides, trabem autem quae in oculo tuo est, non vides. Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo, et tunc videbis ejicere festucam de oculo fratris tui* (Matth. 7, 4, 5).

77. Non ergo erubescamus dicere graviorem nostram culpam esse, quam ejus quem arguendum putamus; quia dixit hoc Judas qui arguebat Thamar, et recordatus suam

ipse culpam, ait: *Justificata est magis Thamar, quam ego.* In quo et altitudo mysterii est, et morale praeceptum: et ideo culpae ejus deputatum non est; quia ipse se accusavit prius quam ab aliis accusaretur.

78. Non ergo gaudeamus super alicujus peccato sed magis lugeamus; quia scriptum est: *Noli supergaudere mihi, inimica mea, quia cecidi: sed resurgam; quoniam si sedero in tenebris, Dominus illuminabit me. Iram Domini sustinebo, quia peccavi ei; donec justificet causam meam, et faciat judicium meum, et educat me ad lumen, et videbo justitiam ejus: et videbit inimica mea, et cooperietur confusione, quae dicit ad me: Ubi est Dominus Deus tuus? Oculi mei videbunt eam, et erit in conculcationem sicut lutum in via* (Mich. 7, 8 ss.). Nec immerito, quoniam qui lapsu alieno gaudet, diaboli gaudet victoria. Et ideo doleamus magis, cum audimus periisse hominem, pro quo Christus mortuus est, qui nec in messe stipulam negligit.

79. Atque utinam hanc stipulam in messe. hoc est, inanem avenam fructus mei non abjiciat, sed colligat, sicut ait quidam: *Heu me, quia factus sum sicut qui colligit stipulam in messe, et racemum in vindemia*

(Mich. 7, 1)! ut vel primitiva manducet in me gratiae suae, etsi posteriora non approbet.

CAPUT IX.

Qua ratione poenitentia agenda sit.

80. Ergo et agendam poenitentiam. et tribuendam veniam credere nos convenit; ut veniam tamen tamquam ex fide speremus. non tamquam ex debito: aliud est enim mereri. aliud praesumere. Tamquam ex syngrapho fides impetrat: praesumptio autem arroganti est propior. quam roganti. Prius solve quod debitum est: ut quod speraveris. impetrare merearis. Solve boni affectum debitoris, ut versuram non facias[1]), sed fidei tuae censu contracti nominis fenus evacues.

81. Plura solvendi habet subsidia qui Deo, quam is qui homini debet. Hómo pecuniam pro pecunia reposcit, quae non semper debitori praesto est: Deus affectum exigit, qui in tua potestate est. Nemo pauper est qui Deo debet, nisi qui se ipsum pauperem fecerit. Et si non habet quae vendat habet quae solvat. Oratio, lacrymae, jejunia

[1]) Ut versuram non facias i. e. ut novum graviusque debitum non contrahas.

debitoris boni census est, multoque uberior, quam si quis ex pretiis fundorum pecuniam sine fide deferat

82. Denique pauper erat Ananias, cum vendito agro, pecuniam deferret ad apostolos; unde nec solvere se potuit, sed implicavit. Dives illa vidua, quae duo aera minuta in gazophylacium misit, de qua dictum est: *Haec vidua pauperecula plus omnibus misit* (Luc. 21, 2). Non enim pecuniam Deus, sed fidem quaerit.

83. Neque ego abnuo liberalitatibus in pauperes factis posse minui peccatum; sed si fides commendet expensas. Quid enim prodest collatio patrimonii sine gratia caritatis?

84. Sunt qui ad jactantiam solam decorem largitatis affectent; ut eo se probatos vulgo videri velint, quod sibi nihil reliquerint: sed dum praesentis seculi mercedem requirunt, non recondunt futuri; et quia hic perceperunt mercedem suam, illic sperare non possunt.

85. Sunt qui opes suas tumultuario mentis impulsu, non judicio perpetuo, ubi Ecclesiae contulerunt, postea revocandas putarunt: quibus nec prima merces rata est, nec secunda; quia nec prima judicium habuit, et secunda habuit sacrilegium.

86. Sunt quos poenituerit opes suas divisisse pauperibus: sed eos qui poenitentiam agunt, hoc solum poenitere non debet, ne ipsius poenitentiae agant poenitentiam. Nam plerique futuri supplicii metu peccatorum suorum conscii, poenitentiam petunt; et cum acceperint, publicae supplicationis revocantur pudore. Hi videntur malorum petiisse poenitentiam, agere bonorum.

87. Nonnulli ideo poscunt poenitentiam, ut statim sibi reddi communionem velint. Hi non tam se solvere cupiunt, quam sacerdotem ligare; suam enim conscientiam culpa non exuunt, et sacerdotis induunt, cui praeceptum est: *Nolite sanctum dare canibus, neque miseritis margaritas vestras ante porcos* (Matth. 7, 6), hoc est, immundis impuritatibus sacrae communionis non impertienda consortia.

88. Itaque videas eos mutata veste incedere, quos lugere et gemere oportebat; quia vestem illam ablutionis et gratiae sordidarunt: feminas autem margaritis onerare aures, curvare cervices, quas bene Christo non auro inclinarent: quae se ipsas flere debebant, quod margaritam quae de coelo est, perdiderunt.

89. Sunt etiam qui arbitrentur hoc esse

poenitentiam, si abstineant a sacramentis coelestibus. Hi saeviores in se judices sunt, qui poenam praescribunt sibi, declinant remedium, quos vel poenam suam conveniebat dolere; quia coelesti fraudarentur gratia.

90. Alii proposita spe agendae poenitentiae, licentiam sibi delinquendi propagatam putant, cum poenitentia remedium peccati sit, non peccandi incentivum. Vulneri enim medicamentum necessarium est, non vulnus medicamento; quia propter vulnus medicamentum quaeritur, non propter medicamentum vulnus desideratur. Infirma deinde spes quae committitur tempori: cum omne tempus incertum sit, non omni spes tempori sit superstes.

CAPUT X.

A pudore in poenitentia agenda dehortatur. Alia de ratione agendae poenitentiae monita.

91. An quisquam ferat ut erubescas Deum rogare, qui non erubescis rogare hominem? et pudeat te Deo supplicare, quem non lates; cum te non pudeat peccata tua homini, quem lateas, confiteri? An testes precationis et conscios refugis, cum si homini satisfaciendum sit, multos necesse est ambias, obsecres, ut

dignentur intervenire: ad genua te ipse prosternas, osculeris vestigia, filios offeras culpae adhuc ignaros, paternae etiam veniae precatores? Hoc ergo in Ecclesia facere fastidis, ut Deo supplices, ut patrocinium tibi ad obsecrandum sanctae plebis requiras: ubi nihil est quod pudori esse debeat, nisi non fateri, cum omnes simus peccatores: ubi ille laudabilior, qui humilior; ille justior, qui sibi abjectior.

92. Fleat pro te mater Ecclesia, et culpam tuam lacrymis lavet, videat te Christus moerentem, ut dicat: *Beati tristes, quia gaudebitis* (Luc. 6, 21). Amat ut pro uno multi rogent. Denique in Evangelio motus viduae lacrymis, quia plurimi pro ea flebant, filium ejus resuscitavit. Ideo citius exaudivit Petrum, ut Dorcas resurgeret; quia pauperes mortem mulieris ingemiscebant. Ideo ipsi Petro statim remisit, quia amarissime flevit. Et tu si amarissime fleas, Christus ad te respiciet, culpa discedet. Usus enim doloris ablegat luxuriam criminis, erroris delicias. Ita dum dolemus admissa, admittenda excludimus, et fit quaedam de condemnatione culpae disciplina innocentiae.

93. Nihil ergo te revocet a poenitentia, haec tibi communis cum sanctis est: utinam-

que imitanda talis, qualis sanctorum deploratio. David manducabat sicut panem cinerem, et potum suum cum lacrymis temperabat; ideo nunc amplius gaudet, quia amplius flevit: *Per exitus aquarum descenderunt*, inquit, *oculi mei* (Ps. 118, 136).

94. Joannes multum ploravit, et revelata sibi dicit Christi mysteria. At vero illa mulier, quae cum esset in peccatis et deberet flere, gaudebat et veste purpurea atque coccinea operiebatur, et auro se multo et pretiosis lapidibus ornabat; aeterni fletus nunc luget aerumnam (Apoc. 17, 4).

95. Merito reprehenduntur qui saepius agendam poenitentiam putant; quia luxuriantur in Christo. Nam si vere agerent poenitentiam, iterandam postea non putarent; quia sicut unum baptisma, ita una poenitentia [1]), quae tamen publice agitur; nam quo-

[1]) Occasione hujus loci non inutile erit, paucis explicasse, quo sensu Patres poenitentiam *unam* dixerint et ita unam ut unus est baptismus, quae illorum doctrina haud parvam facessit difficultatem. Certum 1) est, hoc non solum s. Ambrosium affirmare, sed et Tertullianum (de poenit. cc. 7, 9), cujus verba non adducimus, cum in hoc volumine conferri possint; praeterea id testatur s. Augustinus ep. 153. al. 54. ad Macedonium n. 7: „Quamvis caute salubriterque provisum sit, ut locus illius

tidiani nos debet poenitere peccati: sed haec delictorum leviorum, illa graviorum.

humillimae poenitentiae *semel* in Ecclesia concedatur, ne medicina vilis minus utilis esset aegrotis..... quis tamen audeat dicere Deo: Quare huic homini, qui post primam poenitentiam rursus se laqueis iniquitatis obstrinxit, adhuc iterum parcis?" Testantur et Origenes Hom. 15. in Levit. c. 15; Clemens Alexandrinus L. 2. Strom. et ante omnes jam Hermas Pastor L. 2. mandato 4., ubi haec legimus: „Post vocationem illam magnam et sanctam (scil. per baptismum), si quis tentatus fuerit a diabolo et peccaverit *unam* poenitentiam habet. Si autem subindo peccet et poenitentiam agit, non proderit homini talia agenti; difficile enim vivet Deo." Cf. Morinum Comment. hist. de disciplina et administr. sacr. poenitentiae L. 5. c. 27 s. Verum 2) haec similiave Patrum testimonia a) non de quacunque poenitentia, qualis in Ecclesia agitur quaeque remissionis peccatorum beneficio donatur, sunt intelligenda, sed de publica, ut disserte hic s. Ambrosius testatur ac etiam s. Augustinus significat. b) Haec unitas poenitentiae non est juris divini, sed tantum juris seu potius consuetudinis ecclesiasticae, ne c) poenitentia publica vilesceret, non quod Ecclesiae crederet, potestatem clavium limitibus esse circumscriptam nec se ad iterata fidelium peccata extendere. Ex hac tamen praxi 3) nullatenus inferre licet causam peccatorum, qui peracta semel poenitentia publica in eadem vel graviora inciderint peccata, fuisse plane desperatam. Poterant hi iterum criminum suorum remissionem consequi. Quod si episcopi nonnulli talibus veniam denegarint, vel in una alterave ecclesia *particulari*

96. Facilius autem inveni qui innocentiam servaverint, quam qui congrue egerint

praxis haec *forte* (neque enim *certo* de ulla id demonstrari potest) obtinuerit, certum tamen est, eam nunquam in *universa* obtinuisse Ecclesia, ne seculo quidem tertio omnium rigidissimo. Quaero enim 4) utrum ejusmodi peccatores in peccata gravia relapsi non potuerint dolere de suis peccatis ac poenitentiam agere? Non solum poterant, sed debebant, imo ad poenitentiam erant cohortandi, incitandi, cogendi. Quilibet enim peccator jure divino, jure naturae ad poenitentiam agendam tenetur. Atqui omnibus erat persuasum a) eam tantum poenitentiam Deo esse gratam, acceptam et fructuosam, quae in Ecclesia agitur „cum Dominus legem tulerit, ut ligata in terris et in coelis ligata essent, solvi autem illic possent, *quae hic prius in Ecclesia solverentur*“ (S. Cypr. in ep. synodica 54. ad Corn.). Persuasum deinde b) omnibus axiomatis instar erat, neminem posse poenitentiam agere, nisi spe veniae consequendae sustentetur. Hoc uno ore Patres adversus Novatianos, qui poenitentiam imponebant nulla facta spe veniae ab Ecclesia consequendae, urgent atque inculcant. Legantur Ambrosius in hoc ipso opere L. 1. cc. 1, 16. L. 2. c. 3. n. 16; Cyprianus ep. 52. ad Antonianum (cujus aliqua adduximus in adnot. ad s. Ambr. L. 1. de poenit. n. 16); Tertullianus infra in opusculo de poenitentia cc. 6, 7. En argumentum invictum, quo catholici, teste Tertulliano (de pudic. c. 5), contra Montanistas utebantur. „*Si* enim, inquiunt (catholici), *aliqua poenitentia caret venia, jam nec in totum tibi agenda est.* Nihil enim agendum est frustra. Porro frustra agetur poenitentia, si caret

poenitentiam. An quisquam illam poenitentiam putat, ubi acquirendae ambitio digni-

venia. Omnis autem poenitentia agenda est. *Ergo omnis veniam consequatur*, ne frustra agatur, quia non erit agenda, si frustra agatur.' Ergo nisi dicere velimus, peccatores in pristina peccata relapsos fuisse a praecepto agendae poenitentiae solutos, vel potestati clavium non amplius subjectos, tenendum est, ipsis si rite essent dispositi, veniam nunquam fuisse negatam. Quid quod 5) Ecclesia etiamsi vellet, *jure* non posset legem sancire universalem, qua peccatoribus in peccata relapsis et de his poenitentiam agentibus venia denegetur. Singulari dissertatione id evidenter demonstrabimus. Interim sufficiat animadvertisse, Ecclesiam sancire non posse eam disciplinam, quam in Novatianis semper abhorruit. Abhorruit autem Ecclesia non solum doctrinam theoreticam Novatianorum, qua clavium potestatem limitibus circumscribebant, sed et *practicam*, qua peccatoribus, licet poenitentiam agerent, veniam denegabant. Sed ejusdem duritiae et crudelitatis (ita illam praxim Patres vocant) rea foret Ecclesia, si in universum, nulla ratione habita dispositionis et poenitentiae, peccata iterata retinuisset. Sane 6) nihil hac disciplina perniciosius. „Si clauderetur, inquit ad rem Augustinus (S. 352. n. 9.), aditus poenitentiae, nonne ille peccator tanto magis adderet peccata peccatis, quanto magis sibi desperaret ignosci? Diceret enim sibi: Ecce peccavi, ecce scelus admisi, jam mihi veniae nullus est locus, poenitentia infructuosa est, damnandus sum: quare jam non vivo ut volo? Quia ibi non invenio caritatem, hic saltem pascam cupiditatem. Quare enim me abstineam? Ibi mihi locus omnis clausus est: hic

tatis, ubi vini effusio. ubi ipsius copulae conjugalis usus? Renunciandum seculo est: somno

quidquid non fecero, perdo, quia vita, quae post hanc futura est, non mihi dabitur. Quare ergo non servio libidinibus meis, ut eas impleam et saturem? et faciam quidquid non licet, sed libet?" etc. Disciplinam talium fructuum feracem sanctitue Ecclesia? Quare 7) Patres unanimes statuunt, neminem posse ab agenda poenitentia hujusque fructu i. e. peccatorum remissione excludi. „*Neminem* putamus, scribit s. Cyprianus (ep. 52. ad Anton. n. 27.), a fructu satisfactionis et spe pacis arcendum, cum sciamus juxta Scripturarum divinarum fidem, auctore et hortatore ipso Deo, et ad agendam poenitentiam peccatores (profecto etiam *relapsos*) redigi, et veniam atque indulgentiam poenitentibus non denegari." Et Ambrosius hoc ipso in opere l. 2. c. 3: „Ergo *evidentissime* Domini praedicatione mandatum est, etiam gravissimi criminis reis, si ex toto corde et manifesta confessione peccati poenitentiam gerant, sacramenti coelestis gratiam refundendam." Innocentius I. ep. 30. ad Patres conc. Milevitani n. 1: „Ut durum arbitror conniventiam praebere peccantibus, ita impium judico manum negare conversis." Et aliis ommissis audiatur Coelestinus ep. 4. ad episc. provinciae Viennensis et Narbonensis n. 3: „Agnovimus poenitentiam morientibus denegari, nec illorum desideriis annui, qui obitus sui tempore hoc animae suae cupiunt remedio subveniri. *Horremus*, fateor, *tantae impietatis aliquem reperiri*, ut de Dei pietate desperet: quasi non possit ad se quovis tempore concurrenti succurrere et periclitantem sub onere peccatorum hominem pondere, quo se ille ex-

ipsi minus indulgendum quam natura postulat. interpellandus est gemitibus, inter-

pediri desiderat, liberare. Quid hoc, rogo, aliud est, quam morienti mortem addere, ejusque animam sua crudelitate, ne absoluta esse possit, occidere? cum Deus ad subveniendum paratissimus, invitans ad poenitentiam, sic promittat: *Peccator*, inquit, *quacunque die conversus fuerit, peccata ejus non imputabuntur ei* (Ez. 33. 15). Et iterum: *Nolo mortem peccatoris, sed tantum convertatur et vivat.* Salutem ergo homini adimit, quisquis mortis praeteriti tempore poenitentiam (forte: mortis tempore praeteriti poenitentiam) denegarit. Et desperavit de clementia Dei, qui eum ad subveniendum morienti sufficere vel momento posse non credidit.‘ Hinc 8) vel Natalis Alexander, licet statuerit Patrum effatis de unitate poenitentiae innixus hanc propositionem (Diss. 10. in sec. 3.): „Iis qui acta publice poenitentia in eadem vel nova crimina relabebantur, ob quae agenda publice poenitentia esset, secundum Ecclesiae leges nedum publicae verum etiam privatae poenitentiae praecludebatur aditus“, quam tuentur etiam Albaspinaeus. l. 2. Observat. 5. Morinus, l. c. l. 5. c. 27; Petavius, in animadv. ad Epiph. haer. 59; Witasse. de sacr. poenit. q. 5. s. 4. ass. 1. 2., mox tamen hanc alteram subjicit: „Peccantibus, qui peracta publice poenitentia, eadem vel aeque gravia crimina perpatraverant, privata poenitentia et absolutio in morte non denegabatur“, quod probant etiam Morinus (l. c. l. 5. c. 30. et in recognitione operis sui) Collet (Tractatu de poenit. in dissert. hist. de disciplina veteris Eccl. circa poenit. a. 6. concl. 2.) et Tournely (de poenit. q.

rumpendus est suspiriis, sequestrandus orationibus: vivendum ita, ut vitali huic moriamur usui, se ipsum sibi homo abneget, et totus mutetur: sicut quendam adolescentem fabulae ferunt propter amores meretricios peregre profectum, et abolito amore regres-

---

S. a. 5. concl. 2.) verbis Siricii papae, qui consultus de iis, qui acta poenitentia in gravia peccata relapsi erant, respondet (ep. 1. ad Himer. c. 5): „De quibus, quia jam suffugium non habent poenitendi, id duximus decernendum, ut sola intra ecclesiam fidelibus oratione jungantur, sacrae mysteriorum celebritati, quamvis non mereantur, intersint; a dominicae autem mensae convivio segregentur, ut hac saltem districtione correpti, et ipsi in se sua errata castigent, et aliis exemplum tribuant, quatenus ab obscenis cupiditatibus retrahantur. Quos tamen, quia carnali fragilitate ceciderunt, viatico munere, cum ad Dominum coeperint proficisci, per communionis gratiam volumus sublevari. Quam formam et circa mulieres, quae se post poenitentiam talibus pollutionibus devinxerunt, servandam esse censemus.“ Neque 9) contra mitiorem illorum sententiam, qui putant, relabentibus denegata publica poenitentia remedium fuisse concessum poenitentiae privatae, excipiatur, meliorem tunc fuisse conditionem peccatorum post relapsum, nam a) tanti aestimabatur poenitentia publica, ut secundi baptismi loco haberetur; Cf. Morinus l. c. L. 5. cc. 6 ss.; relabentium vero b) poenitentia plus minusve suspecta videbatur, hinc c) eorum reconciliatio saepe differebatur ad mortem usque. Sed hactenus satis.

sum, postea veteri occurrisse dilectae, quae ubi se non interpellavit, mirata putaverit non recognitam, rursus occurrens dixerit: Ego sum, responderit ille: Sed ego non sum ego.

97. Unde bene Dominus ait: *Qui mlt post me venire, abneget semetipsum sibi, et tollat crucem suam, et sequatur me* (Matth. 16, 24). Etenim qui mortui et sepulti in Christo sunt, non debent iterum velut viventes de hoc mundo decernere. *Ne tetigeritis*, inquit, *nec attaminaveritis, quae sunt omnia ad corruptelam ipso usu* (Coloss. 2, 21), eo quod ipse hujus vitae usus corruptela sit integritatis.

CAPUT XI.

Poenitentia non est differenda. Publica vero poenitentia eo agenda est tempore, quo culpae defervescat luxuria.

98. Bona ergo poenitentia, quae si non esset, omnes ad senectutem differrent ablutionis gratiam. Quibus satis responsi est quia melius est ut habeam quod sarciam, quam non habeam quo vestiar: sed sicut semel assuta redintegrantur, ita frequenter suta solvuntur.

99. Eos autem qui poenitentiam differunt, satis ipse Dominus admonuit dicens: *Poe-*

nitentiam agite; appropinquavit enim regnum coelorum (Matth. 4, 17). Nescimus ergo qua hora fur venerit, nescimus an proxima nocte a nobis nostra reposcatur anima. Adam post culpam statim de paradiso Deus ejecit, non distulit: sed statim separavit a deliciis, ut ageret poenitentiam: statim tunicam vestivit pelliceam, non sericam

100. Quid enim est quod differas? An ut plura peccata committas? Ergo quia Deus bonus est, ideo tu malus, et divitias bonitatis ejus et patientiae contemnis? Sed bonitas Domini magis ad poenitentiam te debet adducere. Ideo ad omnes sanctus David dicit: *Venite, adoremus, et procidamus ante eum, et ploremus ante Dominum nostrum, qui fecit nos* (Psal. 94, 6). De peccatore autem sine poenitentia mortuo, quia nihil aliud superest nisi graviter moerere, nisi flere, habes plorantem ipsum et dicentem: *Filius meus Abessalon, filius meus Abessalon* (2. Reg. 18, 33). Qui enim penitus est mortuus, sine ulla exceptione deflctur.

101. De his autem qui exsules atque peregrini limitum paternorum, quos lex Moysi sancta praescripsit, mundanis implicabantur erroribus, audis canentem: *Super flumina Babylonis illic sedimus et flevimus, dum*

recordaremur Sion (Psal. 136, 1). Inducit enim lapsorum gemitus, in ipso temporum praesentium et rerum labentium adhuc positos statu debere resipiscere; eorum videlicet exemplo, qui propter peccati pretium deducti erant in captivitatis aerumnam.

102. Nihil est autem quod tam summo dolori sit, quam ut unusquisque positus sub captivitate peccati, recordetur unde lapsus sit, atque unde decciderit; eo quod ad corporea atque terrena ab illa speciosa ac pulchra divinae cognitionis intentione deflexerit.

103. Sic habes Adam abscondentem se, ubi Deum cognovit esse praesentem, et quaesitum latere voluisse, et vocatum a Domino ea voce, quae latentis morderet affectum, hoc est: *Adam, ubi es* (Gen. 3, 9)? hoc est, cur te abscondis? cur lates? cur fugis eum, quem videre desiderabas? Ita gravis culpa est conscientiae, ut sine judice ipsa se puniat, et velare se cupiat: et tamen apud Deum nuda sit.

104. Et ideo nemo in peccato positus arrogare sibi debet auctoritatem aut usurpationem sacramentorum; quia scriptum est: *Peccasti, quiesce* (Ib. 4, 10). Quod in praesenti psalmo David dicit: *In salicibus*, inquit, *in medio ejus suspendimus organa*

nostra; et infra: *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena* (Psal. 136, 1, 2). Si enim caro menti repugnat, nec subdita est animi gubernaculo, et mentis imperio, aliena est terra quae non domatur exercitio cultoris, et ideo non potest fructus caritatis, patientiae ac pacis afferre. Melius est ergo tunc quiescere, cum exercere non queas opera poenitentiae; ne in ipsa poenitentia fiat, quod postea indigeat poenitentia. Quae si semel fuerit usurpata, nec jure celebrata; nec prioris fructum obtinet, et auferet usum posterioris.

105. Sane et cum caro repugnat, mens ad Deum debet esse intenta: etsi opera non sequuntur, fides non deserat: etsi impugnant vel carnis illecebrae, vel potestates adversariae, maneat mens Deo dedita. Tunc enim maxime urgemur, cum caro cedit: et sunt qui vehementer incumbant miserae animae, quaerentes omne auferre praesidium. Unde illud est: *Exinanite, exinanite usque ad fundamentum in ea* (Psal. 136, 7).

106. Quam miseratus David ait: *Filia Babylonis misera.* Misera utique; quia Babylonis filia est, quae Dei filia esse desivit. Cui tamen medicum invitat, dicens: *Beatus qui tenebit, et allidet parvulos tuos ad pe-*

tram (Ps. 136. 8 s.), hoc est, qui infirmas et lubricas cogitationes elidat ad Christum, qui omnes irrationabiles motus sui reverentia et disceptatione comminuat, ut si adulterino quis amore raptatur, excludat ignem copulamque meretricis, et se studio suo abdicet, ut Christum acquirat.

107. Didicimus ergo et agendam poenitentiam, et eo agendam tempore quo culpae defervescat luxuria: et in captivitate peccati positos, reverentiores nos, non usurpatores esse debere. Nam si Moysi propius accedere gestienti, ut cognitionem mysterii coelestis hauriret, dicitur: *Solve calceamentum pedum tuorum* (Exod. 3. 5); quanto magis nos animae nostrae pedes exuere vinculis corporalibus, et gressus omnes mundi istius nexu debemus absolvere?

S. CYPRIANI

LIBER DE LAPSIS [1].

1. Gratiae Deo agendae sunt pro pace Ecclesiae reddita.

Pax ecce, dilectissimi fratres, Ecclesiae

[1] Hujus praestantissimi opusculi mentionem fecerunt jam s. Augustinus passim ut de fide et oper. c. 19. 27.; s. Pacianus Barcinonensis episcopus ep. 3; s. Fulgentius ad Trasim. l. 2. c. 17. etc. Scriptum fuit pace reddita post saevissimam Decii persecutionem a. 251., ut plures eruditi censent. Ejus vero scopus est, fideles illius crudelis persecutionis occasione lapsos cohortari ad poenitentiam, sed ad poenitentiam plenam et congruam, eosque dehortari, ne blandis schismaticorum quorundam presbyterorum (cf. s. Cypriani vitam t. 1. p. 9 s.) promissis seducti antequam pro tanto crimine Ecclesiae satisfecerint, in sacramentum Corporis et Sanguinis Domini nostri Jesu Christi irruant. Eminet autem in hoc libello s. Cypriani eloquentia et caritas vere sacerdotalis, unde merito de tanto martyre scribit Cassiodorus (divin. lect. 19): „Beatissimus Cyprianus velut oleum decurrens in omnem suavitatem lingua composita, declamator insignis doctorque mirabilis. Quantos enim

reddita est [2]). et quod difficile nuper incredulis ac perfidis impossibile videbatur, ope atque ultione divina securitas nostra reparata est. In laetitiam mentes redeunt, et tempestate pressurae ac nube discussa tranquillitas ac serenitas refulserunt. Dandae laudes Deo, et beneficia ejus ac munera cum gratiarum actione celebranda, quamvis agere gratias nostra vox nec in persecutione cessaverit. Neque enim tantum inimico licere potest ut non qui Dominum toto corde et anima et virtute diligimus, benedictiones ejus et laudes semper et ubique cum gloria praedicemus. Exoptatus votis omnium dies venit, et post longae noctis horribilem tetramque caliginem Domini luce radiatus mundus eluxit.

II. Eorum qui pro Christo passi sunt laus.

Confessores praeconio boni nominis claros et virtutis ac fidei laudibus gloriosos

ille dubitantes non pertulit labi, lapsos vero firmissima praedicatione solidavit, confessores ad martyrium ipse perduxit. Et ne minor esset praedicationibus suis, ipse quoque martyrii corona, Domino praestante, decoratus est.«

[2]) *Pax.... reddita est* scil. post Decii persecutionem a. 251.

laetis conspectibus intuemur, sanctis osculis adhaerentes, desideratos diu inexplebili cupiditate complectimur. Adest militum Christi cohors candida, qui persecutionis urgentis ferociam turbulentam stabili congressione fregerunt, parati ad patientiam carceris, armati ad tolerantiam mortis. Repugnastis fortiter seculo, spectaculum gloriosum praebuistis Deo, secuturis fratribus fuistis exemplo. Religiosa vox Christum locuta est, in quem se semel credidisse confessa est: illustres manus, quae non nisi divinis operibus assueverant, sacrificiis sacrilegis restiterunt; sanctificata ora coelestibus cibis post corpus et sanguinem Domini profana contagia et idolorum reliquias respuerunt. Ab impio sceleratoque velamine, quo illic velabantur sacrificantium capita captiva, caput vestrum liberum mansit. Frons cum signo Dei pura diaboli coronam ferre non potuit, coronae se Domini reservavit. Quam vos laete sinu suo excipit mater Ecclesia de praelio revertentes! Quam beata, quam gaudens portas suas aperit, ut adunatis agminibus intretis, de hoste prostrato trophaea referentes! Cum triumphantibus viris et feminae veniunt, quae cum seculo dimicantes, sexum quoque vicerunt. Veniunt et geminata militiae suae gloria vir-

gines, et pueri annos suos virtutibus transeuntes. Necnon et cetera stantium multitudo vestram gloriam sequitur, proximis et pene conjunctis laudis insignibus vestigia vestra comitatur. Eadem et in illis sinceritas cordis, eadem fidei tenacis integritas. Inconcussis praeceptorum coelestium radicibus nixos et evangelicis traditionibus roboratos non praescripta exsilia, non destinata tormenta, non rei familiaris damna, non corporis supplicia terruerunt. Explorandae fidei praefiniebantur dies. Sed qui seculo renunciasse se meminit, nullum seculi diem novit, nec tempora terrena jam computat qui aeternitatem de Deo sperat.

III. Nemo eos, qui fuga persecutioni se subtraxerunt, detrectet.

Nemo, fratres dilectissimi, nemo hanc gloriam mutilet, nemo incorruptam stantium firmitatem maligna obtrectatione debilitet. Cum dies negantibus praestitutus excessit, quisquis professus intra diem non est, christianum se esse confessus est [1]). Primus est

[1]) Cum dies seu spatium ad deliberandum abjiciendamque religionem christianam a persecutoribus praestitutum praeteriit, omnes qui se intra hoc tempus tribunali non stiterunt proconsulis, hoc ipso chri-

victoriae titulus, gentilium manibus apprehensum Dominum confiteri. Secundus ad gloriam gradus est, cauta secessione subtractum Domino reservari [1]). Illa publica, haec privata confessio est. Ille judicem seculi vincit, hic contentus Deo suo judice conscientiam puram cordis integritate custodit. Illic fortitudo promptior, hic sollicitudo securior. Ille appropinquante hora sua jam maturus inventus est. Hic fortasse dilatus est, qui patrimonio derelicto idcirco secessit, quia non erat negaturus; confiteretur utique, si fuisset et ipse detentus.

IV. Dolet s. Doctor lapsorum ruinas.

Has martyrum coelestes coronas, has confessorum glorias spirituales, has stantium fratrum maximas eximiasque virtutes moestitia una contristat, quod avulsam nostrorum viscerum partem violentus inimicus populationis suae strage dejecit. Quid hoc loco faciam, dilectissimi fratres? Fluctuans vario mentis aestu quid aut quomodo dicam?

stianos se sunt professi, proinde et confessionis gloriae sunt participes.

[1]) *Secundus ad gloriam* etc. i. e. non caret merito et gloria, qui fuga se subtraxit, persecutores declinavit seque ita Domino fidelem servavit.

Lacrymis magis quam verbis opus est ad exprimendum dolorem quo corporis nostri plaga deflenda est, quo populi aliquando numerosi multiplex lamentanda jactura est. Quis enim sic durus aut ferreus, quis sic fraternae caritatis oblitus, qui inter suorum multiformes ruinas et lugubres ac multo squalore deformes reliquias constitutus, siccos oculos tenere praevaleat, nec erumpente statim fletu, prius gemitus suos lacrymis quam voce depromat? Doleo, fratres, doleo vobiscum, nec mihi ad leniendos dolores meos integritas propria et sanitas privata blanditur, quando plus pastor in gregis sui vulnere vulneretur. Cum singulis pectus meum copulo, moeroris et funeris pondera luctuosa participo. Cum plangentibus plango, cum deflentibus defleo, cum jacentibus jacere me credo. Jaculis illis grassantis inimici mea simul membra percussa sunt, saevientes gladii per mea viscera transierunt. Immunis et liber a persecutionis incursu fuisse non potest animus. In prostratis fratribus et me prostravit affectus.

V. Persecutionem Deus probandi causa permisit.

Habenda tamen est, fratres dilectissimi, ratio veritatis, nec sic mentem debet et sen-

sum persecutionis infestae tenebrosa caligo coecasse ut nihil remanserit lucis et luminis unde divina praecepta perspici possint. Si cladis causa cognoscitur, et medela vulneris invenitur. Dominus probari familiam suam voluit; et quia traditam nobis divinitus disciplinam pax longa corruperat, jacentem fidem et pene, ut ita dixerim, dormientem censura coelestis erexit; cumque nos peccatis nostris amplius mereremur, clementissimus Dominus sic cuncta moderatus est, ut hoc omne quod gestum est, exploratio potius quam persecutio videretur.

VI. Christianorum ante persecutionem vitia.

Studebant augendo patrimonio singuli et obliti, quid credentes aut sub apostolis ante fecissent aut semper facere deberent, insatiabili cupiditatis ardore ampliandis facultatibus incubabant. Non in sacerdotibus religio devota, non in ministeriis fides integra, non in operibus misericordia, non in moribus disciplina. Corrupta barba in viris, in feminis forma fucata. Adulterati post Dei manus oculi, capilli mendacio colorati. Ad decipienda corda simplicium callidae fraudes, circumveniendis fratribus subdolae voluntates. Jungere cum infidelibus vinculum matrimonii,

prostituere gentilibus membra Christi. Non jurare tantum temere, sed adhuc etiam pejerare. praepositos superbo tumore contemnere. venenato sibi ore maledicere. odiis pertinacibus invicem dissidere. Episcopi plurimi, quos et hortamento esse oportet ceteris et exemplo, divina procuratione contempta, procuratores rerum secularium fieri, derelicta cathedra, plebe deserta, per alienas provincias oberrantes, negotiationis quaestuosae nundinas aucupari, esurientibus in Ecclesia fratribus, habere argentum largiter velle, fundos insidiosis fraudibus rapere, usuris multiplicantibus fenus augere. Quid non perpeti tales pro peccatis ejusmodi mereremur, cum jam pridem praemonuerit ac dixerit censura divina: *Si dereliquerint legem meam, et in judiciis meis non ambulaverint, si justificationes meas profanaverint, et praecepta mea non observaverint, visitabo in virga facinora eorum et in flagellis delicta eorum* (Psal. 88, 31 ss.).

VII. Omnia quae contigerunt, praenunciata sunt.

Praenunciata sunt ista nobis et ante praedicta. Sed nos datae legis et observationis immemores, id egimus per nostra peccata ut

dum Domini mandata comtemnimus, ad correctionem delicti et probationem fidei remediis severioribus veniremus. Nec saltem sero conversi ad Domini timorem sumus, ut hanc correptionem nostram probationemque divinam patienter et fortiter subiremus. Ad prima statim verba minantis inimici maximus fratrum numerus fidem suam prodidit: nec prostratus est persecutionis impetu, sed voluntario lapsu se ipse prostravit. Quid, oro, inauditum, quid novum venerat, ut velut incognitis atque inopinatis rebus exortis, Christi sacramentum [1]) temeritate praecipiti solveretur? Nonne haec et prophetae ante et apostoli postmodum nunciaverunt? Nonne justorum pressuras et gentilium semper injurias pleni sancto Spiritu praedicaverunt? Nonne fidem nostram semper armans et Dei servos coelesti voce corroborans dicit Scriptura divina: *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies* (Deut. 6, 13). Nonne iram divinae indignationis ostendens et poenae metum praemonens denuo dicit: *Adoraverunt eos quos fecerunt digiti eorum; et*

[1]) *Christi sacramentum* i. e. promissio Christo in baptismo facta, qua ut jurejurando seu sacramento milites imperatori fidem obstringunt suam, ita nos Christo obstrinximus nostram.

curvatus est homo, et humiliatus est vir, et non laxabo illis (Isa. 2. 8). Et iterum Deus loquitur dicens: *Sacrificans diis eradicabitur, nisi Domino soli* (Exod. 22, 19). In Evangelio quoque postmodum Dominus in verbis doctor et consummator in factis, docens quid fieret, et faciens quodcumque docuisset, quidquid nunc geritur et geretur, nonne ante praemonuit? Nonne et negantibus aeterna supplicia et salutaria confitentibus praemia ante constituit?

VIII. Quorundam ignavia.

Exciderunt quibusdam, proh nefas! omnia et de memoria recesserunt. Non exspectaverunt saltem ut ascenderent apprehensi, ut interrogati negarent. Ante aciem multi victi, sine congressione prostrati, nec hoc sibi reliquerunt ut sacrificare idolis viderentur inviti. Ultro ad forum currere, ad mortem sponte properare, quasi hoc olim cuperent, quasi amplecterentur occasionem datam quam semper optassent. Quot illic a magistratibus vespera urgente dilati sunt, quot ne eorum differretur interitus etiam rogaverunt! Quam vim potest talis obtendere qua crimen suum purget, cum vim magis ipse fecerit ut peri-

ret? Nonne quando ad Capitolium [1]) sponte ventum est, quando ultro ad obsequium diri facinoris accessum est, labavit gressus, caligavit aspectus, tremuerunt viscera, brachia conciderunt? Nonne sensus obstupuit, lingua haesit, sermo defecit? Stare illic potuit Dei servus et loqui et renunciare Christo, qui jam diabolo renunciaverat et seculo? Nonne ara illa quo moriturus accessit rogus illi fuit? Nonne diaboli altare, quod foetore tetro fumare ac redolere conspexerat, velut funus et bustum vitae suae horrere ac fugere debebat? Quid hostiam tecum, miser, quid victimam immolaturus imponis? Ipse ad aram hostia, victima ipse venisti. Immolasti illic salutem tuam, spem tuam, fidem tuam funestis illis ignibus concremasti.

IX. Parentum quorundam perfidia.

Ac multis proprius interitus satis non fuit. Hortamentis mutuis in exitium populus

[1]) *Ad Capitolium.* Huic loco immititur Semler, ut hujus libri genuinitatem neget. Verum s. martyr non loquitur de Capitolio *romano*, sed probabiliter de Capitolio, quod Carthagine ad imitationem Capitolii romani erat, sicut Capuae, Beneventi, Constantinopoli, Veronae, Tolosae, Narbone, Vesuntii, Treviris, Augustoduni etc. ad exemplum romani Capitolia exstructa erant.

impulsus est, mors invicem letali poculo propinata est. Ac ne quid deesset ad criminis cumulum, infantes quoque parentum manibus vel impositi vel attracti amiserunt parvuli quod in primo statim nativitatis exordio fuerant consecuti. Nonne illi cum judicii dies venerit dicent: Nos nihil mali fecimus, nec derelicto cibo et poculo Domini ad profana contagia sponte properavimus. Perdidit nos aliena perfidia, parentes sensimus parricidas. Illi nobis Ecclesiam matrem, illi patrem Deum negaverunt, ut dum parvi et improvidi et tanti facinoris ignari, per alios ad consortium criminum jungimur, aliena fraude caperemur.

X. Persecutionis tempore secedendum est.

Nec est, proh dolor, justa aliqua et gravis causa, quae tantum facinus excuset. Relinquenda erat patria, et patrimonii facienda jactura. Cui enim nascenti atque morienti non relinquenda quandoque patria et patrimonii sui facienda jactura est? Christus non relinquatur, salutis ac sedis aeternae jactura timeatur. Clamat ecce per prophetam Spiritus sanctus: *Discedite, discedite, exite inde, et immundum nolite tangere. Exite de medio ejus, separamini qui fertis vasa*

Domini (Isa. 52, 11). Et qui vasa sunt Domini ac templum Dei, ne immundum tangere et feralibus cibis pollui violarique cogantur, non exeunt de medio, nec recedunt. Alibi quoque vox auditur e coelo praemonens quid Dei servos facere conveniat dicens: *Exi de ea populus meus, ne particeps sis delictorum ejus, et ne perstringaris plagis ejus* (Apoc. 18, 4). Qui exit et cedit, delicti particeps non fit. Plagis vero et ipse perstringitur, qui socius criminis invenitur. Et ideo Dominus in persecutione secedere et fugere mandavit, atque ut id fieret, et docuit et fecit. Nam cum corona de Dei dignatione descendat, nec possit accipi nisi fuerit hora sumendi, quisquis in Christo manens interim cedit, non fidem negat, sed tempus exspectat. Qui autem cum non secederet cecidit, negaturus remansit.

XI. Patrimonii inordinatus amor plerisque lapsis fuit occasio.

Dissimulanda, fratres dilectissimi, veritas non est, nec vulneris nostri materia et causa reticenda. Decepit multos patrimonii sui amor coecus, nec ad recedendum parati aut expediti esse potuerunt quos facultates suae velut compedes ligaverunt. Illa fuerunt

remanentibus vincula, illae catenae, quibus et virtus retardata est, et fides pressa, et mens vincta, et anima praeclusa, ut serpenti terram secundum Dei sententiam devoranti praeda et cibus fierent qui terrestribus inhaererent. Et idcirco Dominus bonorum magister et praemonens in futurum: *Si vis*, inquit, *perfectus esse, vade, vende omnia tua, et da pauperibus, et habebis thesaurum in coelis, et veni, sequere me* (Matth. 19, 21). Si hoc divites facerent, per divitias suas non perirent, thesaurum in coelo reponentes hostem nunc et expugnatorem domesticum non haberent. Esset in coelo cor et animus et sensus, si thesaurus esset in coelo. Nec vinci a seculo posset qui unde vinceretur in seculo non haberet. Sequeretur Dominum solutus et liber, ut apostoli et sub apostolis multi et nonnulli saepe fecerunt, qui et rebus suis et parentibus derelictis, individuis Christo nexibus adhaeserunt.

XII. Patrimonii jactura non timenda sed et optanda.

Sequi autem Christum quomodo possunt qui patrimonii vinculo detinentur? Aut quomodo coelum petunt, et ad sublimia et alta conscendunt qui terrenis cupiditatibus degra-

vantur? Possidere se credunt qui potius possidentur, census sui servi, nec ad pecuniam suam domini, sed magis pecuniae mancipati. Hoc tempus, hos homines Apostolus denotat dicens: *Qui autem volunt divites fieri, incidunt in tentationem et muscipulam et desideria multa inutilia et nocentia, quae mergunt hominem in perditionem et in interitum. Radix enim omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes erraverunt a fide, et inseruerunt se doloribus multis* (1. Tim. 6, 9). Dominus autem quibus nos praemiis ad contemptum rei familiaris invitat? Parva haec et exigua hujus temporis damna quibus mercedibus pensat? *Nemo est*, inquit, *qui relinquat domum aut agrum aut parentes aut fratres aut uxorem aut filios propter regnum Dei et non recipiat septies tantum in isto tempore, in seculo autem venturo vitam aeternam* (Marc. 10, 29). Quibus cognitis et de Domini pollicentis veritate compertis, non tantum timenda non est ejusmodi sed et optanda jactura, ipso denuo Domino praedicante et monente: *Beati eritis cum persecuti vos fuerint, et separaverint vos, et expulerint, et maledixerint nomini vestro ut nequam propter filium hominis. Gaudete in illa*

die et exsultate. Ecce enim merces vestra multa est in coelis (Luc. 6, 22).

XIII. Qui tormentorum vehementia victi fidem negarunt, venia sunt magis digni.

Sed tormenta postmodum venerant, et cruciatus graves reluctantibus imminebant. Queri de tormentis potest qui per tormenta superatus est. Potest excusationem doloris obtendere qui victus est in dolore. Potest rogare talis et dicere: Certare quidem fortiter volui, et sacramenti mei memor devotiones ac fidei arma suscepi, sed me in congressione pugnantem cruciamenta varia et supplicia longa vicerunt. Stetit mens stabilis et fides fortis, et cum torquentibus poenis immobilis diu anima luctata est. Sed cum durissimi judicis recrudescente saevitia jam fatigatum nunc flagella scinderent, nunc contunderent fustes, nunc equuleus extenderet, nunc ungula effoderet, nunc flamma torreret, caro me in colluctatione deseruit, infirmitas viscerum cessit, nec animus sed corpus in dolore defecit. Potest cito proficere ad veniam causa talis. Potest ejusmodi excusatio esse miserabilis. Sic hic Casto et Aemilio aliquando Dominus ignovit. Sic in prima congressione devictos victores in secundo proelio

reddidit, ut fortiores ignibus fierent qui ignibus ante cessissent, et unde superati essent, inde superarent. Deprecabantur illi non lacrymarum miseratione, sed vulnerum, nec sola lamentabili voce, sed laceratione corporis et dolore. Manabat pro fletibus sanguis, et pro lacrymis cruor semiustulatis visceribus defluebat.

XIV. Lapsis non est adulandum.

Nunc vero quae vulnera ostendere victi possunt, quas plagas hiantium viscerum, quae tormenta membrorum, ubi non fides congressa cecidit, sed congressionem perfidia praevenit? Nec excusat oppressum necessitas criminis, ubi crimen est voluntatis. Nec hoc ideo dico, ut fratrum causas onerem, sed ut magis fratres ad precem satisfactionis instigem. Nam cum scriptum sit: *Qui vos felices dicunt in errorem vos mittunt, et semitas pedum vestrorum turbant* (Isa. 3, 12), qui peccantem blandimentis adulantibus palpat, peccandi fomitem subministrat; nec comprimit delicta ille, sed nutrit. At qui consiliis fortioribus redarguit simul atque instruit fratrem, promovet ad salutem. *Quos diligo*, inquit Dominus, *redarguo et castigo* (Apoc. 3, 19). Sic oportet et Dei sacerdotem non

obsequiis decipientibus fallere, sed remediis salutaribus providere. Imperitus est medicus, qui tumentes vulnerum sinus manu parcente contrectat, et in altis recessibus viscerum virus inclusum dum servat exaggerat. Aperiendum vulnus est et secandum, et putraminibus amputatis medela fortiore curandum. Vociferetur et clamet licet et conqueratur aeger impatiens per dolorem. gratias aget postmodum cum senserit sanitatem.

XV. Lapsorum quorundam temeritas, qui poenitentia neglecta ad communionem accedunt.

Emersit enim, fratres dilectissimi, novum genus cladis; et quasi parum persecutionis procella saevierit, accessit ad cumulum sub misericordiae titulo malum fallens et blanda pernicies. Contra Evangelii vigorem, contra Domini ac Dei legem temeritate quorumdam laxatur incautis communicatio, irrita et falsa pax, periculosa dantibus, *et nihil* accipientibus profutura. Non quaerunt sanitatis patientiam, nec veram de satisfactione medicinam. Poenitentia de pectoribus excussa est, gravissimi extremique delicti memoria sublata est. Operiuntur morientium vulnera, et plaga letalis altis et profundis viceribus in-

fixa dissimulato dolore contegitur. A diaboli aris revertentes ad sanctum Domini sordidis et infectis nidore manibus accedunt. Mortiferos idolorum cibos adhuc pene ructantes, exhalantibus etiam nunc scelus suum faucibus et contagia funesta redolentibus, Domini corpus invadunt, quando occurrat Scriptura divina et clamet et dicat: *Omnis mundus manducabit carnem, et anima quaecunque manducaverit ex carne sacrificii salutaris, quod est Domini, et immunditia ipsius super ipsum est, peribit anima illa de populo suo* (Levit. 7, 20). Apostolus item testetur et dicat: *Non potestis calicem Domini bibere et calicem daemoniorum; non potestis mensae Domini communicare et mensae daemoniorum* (1. Cor. 10, 21). Idem contumacibus et pervicacibus comminatur et denunciat dicens: *Quicunque ederit panem aut biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini* (1. Cor. 11, 27).

XVI. Qui lapsis poenitentiam non agentibus pacem concedit, non confert beneficium, sed damnum iis infert.

Spretis his omnibus atque contemptis ante expiata delicta, ante exomologesim factam

criminis, ante purgatam conscientiam sacrificio et manu sacerdotis, ante offensam placatam indignantis Domini et minantis, vis infertur corpori ejus et sanguini, et plus modo in Dominum manibus atque ore delinquunt quam cum Dominum negaverunt. Pacem putant esse quam quidam verbis fallacibus venditant. Non est pax illa, sed bellum; nec Ecclesiae jungitur qui ab Evangelio separatur. Quid injuriam beneficium vocant? Quid impietatem vocabulo pietatis appellant? Quid eis qui flere jugiter et rogare Dominum suum debent, intercepta poenitentiae lamentatione communicare se simulant? Hoc sunt ejusmodi lapsis quod grando frugibus, quod turbidum sidus arboribus, quod armentis pestilens vastitas, quod navigiis saeva tempestas. Solatium aeternae spei adimunt, arborem a radice subvertunt, sermone morbido ad letale contagium serpunt, navem scopulis, ne in portum perveniat, illidunt. Non concedit pacem facilitas ista, sed tollit; nec communicationem tribuit, sed impedit ad salutem. Persecutio est haec alia et alia tentatio, per quam subtilis inimicus impugnandis adhuc lapsis occulta populatione grassatur, ut lamentatio conquiescat, ut dolor sileat, ut delicti memoria evanescat, ut comprimatur

pectorum gemitus, statuatur fletus oculorum, nec Dominum graviter offensum longa et plena poenitentia deprecetur, cum scriptum sit: *Memento unde cecideris, et age poenitentiam* (Apoc. 2, 5) [1]).

XVII. Dominus nostra satisfactione placandus est.

Nemo se fallat, nemo se decipiat. Solus Dominus misereri potest. Veniam peccatis quae in ipsum commissa sunt, solus potest ille largiri, qui peccata nostra portavit, qui pro nobis doluit, quem Deus tradidit pro peccatis nostris. Homo Deo esse non potest major; nec remittere aut donare indulgentia sua servus potest quod in Dominum delicto graviore commissum est; ne adhuc lapso et hoc accedat ad crimen, si nesciat esse praedictum: *Maledictus homo, qui spem habet in homine* (Hier. 17, 5). Dominus orandus est, Dominus nostra satisfactione placandus

[1]) Conqueritur hic s. Episcopus de iis presbyteris, qui nimia levitate lapsos „ante expiata delicta, ante exomologesim“ e. i. confessionem criminis factam etc. venia et sacra communione donabant. Hanc agendi rationem lapsis non prodesse, sed nocere potius docet, quod poenitentiae satisfactionisque studium exstinguat imminuatque lapsus vitandi sollicitudinem.

est; qui negantem negare se dixit, qui omne judicium de Patre solus accepit. Credimus quidem posse apud judicem plurimum martyrum merita et opera justorum, sed cum judicii dies venerit, cum post occasum seculi hujus et mundi ante tribunal Christi populus ejus adstiterit.

XVIII. Lapsis poenitentiam non agentibus Martyrum intercessio non prodest.

Ceterum si quis praepropera festinatione temerarius remissionem peccatorum dare se cunctis putat posse, aut audet Domini praecepta rescindere, non tantum nihil prodest, sed et obest lapsis. Provocasse est iram non servasse sententiam, nec misericordiam prius Dei deprecandam putare, sed contempto Domino de sua facultate praesumere. Sub ara Dei animae occisorum martyrum clamant magna voce dicentes: *Quousque Domine sanctus et verus non judicas et vindicas sanguinem nostrum de his, qui in terris inhabitant* (Apoc. 6, 10)? et requiescere ac patientiam tenere adhuc jubentur. Et quemquam posse aliquis existimat remittendis passim donandisque peccatis bonum fieri contra judicem velle, aut priusquam vindicetur ipse alios posse defendere? Mandant

martyres aliquid fieri, sed si justa, si licita, si non contra ipsum Dominum a Dei sacerdote facienda, si obtemperantis facilis et prona consensio, si petentis fuerit religiosa moderatio. Mandant aliquid martyres fieri; sed si scripta non sint in Domini lege quae mandant, ante est ut sciamus illos de Deo impetrasse quod postulant, tunc facere quod mandant [1]). Neque enim statim videri potest

---

[1]) Respicit hic s. Doctor consuetudinem, quae praesertim tunc in Africa viguit, quam paucis illustrasse haud inutile erit. Notum 1.) supponimus, lapsos ac generatim gravium criminum reos diuturnam rigidamque subire debuisse poenitentiam antequam venia donati ad eucharistiam perfectamque ecclesiasticae communionis admitterentur participationem. Porro 2.) ut quandam tam gravis poenitentiae relaxationem ab Ecclesiae praesulibus lapsi impetrarent citiusque donarentur reconciliatione, martyrum seu confessorum, qui propter fidei confessionem carceribus detinebantur, ambiebant intercessionem. Hujus consuetudinis testis luculentus est s. Cyprianus passim in suis epistolis. Sic scribit ep. 14. n. 2: „Cum comperissem eos, qui sacrilegis contactibus manus suas atque ora maculassent vel nefandis libellis nihilominus conscientiam polluissent, exambire ad martyres passim, confessores quoque importuna et gratiosa deprecatione corrumpere, ut sine ullo discrimine atque examine singulorum, darentur quotidie libellorum milia contra Evangelii legem, literas feci, quibus martyres 'et confessores consilio meo, quantum possem ad do-

de divina majestate concessum quod fuerit humana pollicitatione promissum.

XIX. Confirmatur hoc exemplis in S. Scriptura relatis.

Nam et Moyses pro peccatis populi petiit, nec tamen peccantibus veniam cum petisset

---

minica praecepta revocarem.“ Epistola vero 10. testatur hanc consuetudinem viguisse *sub antecessoribus suis*. Pulcherrimum testimonium est epistola (inter s. Cypr. ep. 20.) Celerini, qua pro sororibus suis Romae lapsis pacem a confessoribus carthaginensibus petit. Hujus consuetudinis testis est Tertullianus (in exhort. ad martyres c. 1.) scribens: „Quam pacem quidam in Ecclesia non habentes a martyribus in carcere exorare consueverunt“; eamque graviter post suam ad Montanistas defectionem carpit (de pudic. c. 22.) hisce verbis: „At tu jam et in martyras tuos effundis hanc potestatem (delicta remittendi). Ut quisque ex confessione vincula induit adhuc mollia in novo custodiae nomine, statim ambiunt moechi, statim adeunt fornicatores, jam preces circumsonant, jam lacrymae circumstagnant maculati cujusque, nec ulli magis aditum carceris redimunt, quam qui Ecclesiam perdiderunt .... pacem ab his quaerunt qui de sua periclitantur etc.“ Exigebatur vero 3.) ut martyres illos, pro quibus apud episcopos intercedebant, designarent nominatim, et nonnisi eos commendarent, quos bene nossent quorumque poenitentiam satisfactioni proximam conspicerent i. e. qui partem non minimam praestitissent poenitentiae sibi impositae. Hoc passim praescribit s. Cyprianus ut ep. 10. n. 4. ita mar-

accepit. *Precor*, ait, *Domine, deliquit populus hic delictum grande, et fecerunt sibi deos aureos; et nunc si dimittis eis, delictum dimitte; sin autem, dele me de libro,*

---

tyres instruens: „Sed et illud ad diligentiam vestram redigere et emendare debetis, ut nominatim designetis eos, quibus pacem dare desideratis. Audio enim quibusdam sic libellos fieri, ut dicatur: Communicet ille .... cum suis, quod nunquam omnino a martyribus factum est, ut incerta et caeca petitio invidiam nobis postmodum cumulet. Late enim patet quando dicitur: *ille cum suis*, et possunt nobis viceni et triceni et amplius offerri, qui propinqui et affines et liberti et domestici esse asseverentur ejus, qui accipit libellum. Et ideo peto, ut eos, quos ipsi videtis, quos nostis, quorum poenitentiam satisfactioni proximam conspicitis, designetis nominatim libello et sic ad nos fidei ac disciplinae congruentes literas dirigatis.“ Cf. quoque n. 3. et ep. 17. Hinc graviter conqueritur de iis, qui gregatim lapsos commendabant. „Frater noster Lucianus, scribit ad clerum Romae consistentem ep. 22. n. 1., et ipse unus de confessoribus, fide quidem calidus et virtute robustus, sed minus dominica lectione fundatus, quaedam conatus est, imperiti jampridem se vulgi auctorem constituens, ut manu ejus scripti libelli gregatim multis nomine Pauli darentur, cum Mappalicus martyr cautus et verecundus, legis ac disciplinae memor, nullas contra Evangelium literas fecerit, sed tantum domestica pietate commotus matri suae, quae lapsa fuerat, mandaverit pacem dari etc.“ Hac agendi ratione ait n. 2. „pene omne vinculum fidei et timorem Dei et mandatum Domini et Evangelii sanctitatem

quem scripsisti. Et dixit Dominus ad Moysen: Si quis deliquerit ante me, deleam eum de libro meo (Exod. 32, 31). Ille amicus Dei, ille facie ad faciem locutus saepe

---

et firmitatem solvi". Verum 4.) martyres non dabant ipsam pacem seu veniam et reconciliationem, sed ut ab episcopis concederetur, intercedebant, hinc hae pro lapsis literae dicebantur *desideria*, *petitiones* martyrum. cf. ep. 10. ad MM. scripta, in qua s. Cyprianus eos reprehendit presbyteros „qui nec timorem Dei nec episcopi honorem cogitantes (cum vos ad me literas direxeritis, quibus examinari desideria vestra et quibusdam lapsis pacem dari postulatis cum, persecutione finita, convenire in unum cum clero et recolligi coeperimus) .... contra Evangelii legem, contra vestram quoque honorificam petitionem, ante actam poenitentiam, ante exomologesim gravissimi atque extremi delicti factam, ante manum ab episcopo et clero in poenitentiam impositam offere pro illis et eucharistiam dari i. e. sanctum Domini corpus profanare audeant etc." cf. n. 2. Quare cum martyres dicuntur pacem dedisse id tantum hoc intelligi potest sensu, quod eam dederint *mediate* per antistites, quos intercessione sua ad pacem conferendam inducebant. Cf. ep. 16. col. 21. n. 2. et 22. inter ep. s. Cypriani. Ejusmodi vero 5.) intercessio martyrum non citra diligens ab episcopis admittebatur examen, quo lapsorum causa, studium, fervor, satisfactio jam praestita et utrum relaxatione ac indulgentia essent digni, accurate expendebantur. „Fecerunt ad nos, scribit s. Cyprianus exsul plebi suae ep. 11. n. 1., de quibusdam beati martyres literas, petentes examinari *desideria*

cum Domino, quod petiit impetrare non potuit, nec Dei indignantis offensam sua deprecatione placavit. Hieremiam Deus laudat et praedicat dicens: *Prius quam te forma-*

---

sua. Cum, pace nobis omnibus a Domino prius data, ad Ecclesiam regredi coeperimus, tunc examinabuntur singula praesentibus et judicantibus vobis.“ Ep. 14. n. 3: „Ceterorum causas, quamvis libello a martyribus accepto, differri mandavi et in nostram praesentiam reservari, ut cum pace a Domino nobis data, plures praepositi in unum convenire coeperimus, communicato etiam vobiscum consilio, disponere singula et reformare possimus.“ Cf. ep. 9. n. 3. et 22. n. 2. 6.) Relaxatio poenitentiae et satisfactionis impositae intuitu intercessionis martyrum concessa valida censebatur non in foro tantum ecclesiastico sed et divino. Id manifestum est a) ex tot epistolis s. Cypriani, quibus irrepentes coercet abusus ac inconsideratam lapsis libellos dandi consuetudinem carpit, quod sit contra Evangelium, contra mandata dominica, quae a peccatoribus fidelibus congruam post lapsum exigunt satisfactionem. Non ergo agebatur de relaxanda satisfactione soli Ecclesiae debita sed Deo quoque praestanda. „Sollicitudo loci nostri, ita Cyprianus ad martyres ep. 10. n. 1., et timor Domini compellit, fortissimi ac beatissimi fratres, admonere vos literis nostris, ut a quibus tam devote et fortiter servatur fides Domini, ab iisdem lex quoque et disciplina Domini reservetur. Nam cum omnes milites Christi custodire oporteat praecepta imperatoris sui, tum vos magis praeceptis ejus obtemperare plus convenit, qui exemplum ceteris facti estis et virtutis et timoris Dei. Et credideram

rem in utero novi te, et prius quam exires de vulva sanctificavi te, et prophetam in gentibus posui te (Jer. 1. 5); et eidem pro peccatis populi deprecanti frequentius et

---

quidem presbyteros et diaconos, qui illic praesentes sunt monere vos et instruere plenissime circa Evangelii legem, sicut in praeteritum semper sub antecessoribus factum est, ut diaconi ad carcerem commeantes martyrum desideria consiliis suis et Scripturarum praeceptis, gubernarent. Sed nunc cum maximo animi dolore cognosco, non tantum illic vobis non suggeri divina praecepta, sed adhuc potius impediri etc.« Cf. ep. 11. et in hoc opusc. de lapsis n. 16 ss. Hinc b) bene sperat lapsos moribundos, qui nondum integram adimpleverint poenitentiam, libellis martyrum „*apud Deum adjuvari* posse .... ut manu eis in poenitentiam imposita, veniant *ad Dominum cum pace*, quam dari martyres literis ad nos factis desideraverunt.« Ep. 12. n. 1. et ep. 13. Id c) colligitur ex disputandi ratione, qua Tertullianus montanista hanc consuetudinem reprehendit; manisfesto enim supponit catholicos credidisse, indulgentiam hanc validam esse vel in ipso foro divino. Sic enim habet (de pudic. c. 22): „Sufficiat martyri propria delicta purgasse. Ingrati vel superbi est in alios quoque spargere, quod pro magno fuerit consecutus. Quis alienam mortem sua solvit nisi Dei Filius? .... Proinde qui illum aemularis donando delicta, si nihil ipse deliquisti, patere pro me. Si vero peccator es, quomodo oleum faculae tuae sufficere et tibi et mihi poterit?« Tandem 7.) haec relaxatio, qua intuitu intercessionis martyrum donabantur lapsi, concessa

oranti: *Noli*, ait, *orare pro populo hoc, et noli postulare pro eis in prece et oratione, quia non exaudiam in tempore, in quo invocabunt me, in tempore afflictionis suae*

---

videtur non citra quandam satisfactionum, quibus abundabant martyres, derivationem in lapsos, qui illis indigebant, ut hisce martyrum divitiis ditati et locupletati divinae justitiae possent satisfacere. Hoc a) innuere videntur verba Tertulliani modo allata: hoc b) ex eo colligitur, quod martyrum intercessio vim atque efficaciam ab eorum morte mutuabatur, ut patet ex ep. 9. s. Cypriani, in qua presbyteros reprehendit, qui „ante ipsum pene martyrum excessum“ communicaverant cum lapsis, quos illi commendaverant; et ex ep. Celerini ad Lucianum, qua a confessoribus carthaginensibus pacem petit pro sororibus lapsis (inter s. Cypr. 20), ubi inter alia scribit: „Rogo itaque, domine, et per Dominum nostrum Jesum Christum, ut ceteris collegis tuis, fratribus tuis, meis dominis referas et ab eis petas, ut quicunque prior vestrum coronatus fuerit, istis sororibus nostris Numeriae et Candidae tale peccatum remittant.“ In epistola vero, quâ respondet Lucianus, haec de Paulo martyre refert (ep. 21.): „Cum benedictus martyr Paulus adhuc in corpore esset, vocavit me et dixit mihi: Luciane, coram Christo tibi dico, ut si quis *post arcessitionem meam*, abs te pacem petierit, des in nomine meo.“ Hoc c) non obscure significatur in ep. eccl. lugdunensis et viennensis ad ep. Phrygiae, in qua de martyribus lugdunensibus narratur (ap. Eus. H. E. l. 5. c. 2.): „Neque enim fastu et arrogantia intumuerunt adversus lapsos, sed ea quibus abundabant

(Jer. 11, 14). Quid vero justius Noe, qui cum repleta esset terra peccatis, solus inventus est justus in terris (Gen. 6, 9)? Quid gloriosius Daniele? Quid illo ad facienda martyria in fidei firmitate robustius, in Dei dignatione felicius, qui toties et cum confligeret vicit, et cum vinceret supervixit? Quid Job in operibus promptius, in tentationibus fortius, in dolore patientius, in timore submissius, in fide verius? Nec his tamen, si rogarent, concessurum se Deus dixit. Cum

---

bona indigentibus liberaliter subministrabant, materna quaedam viscera gestantes magnamque vim lacrymarum pro illorum salute coram Deo Patre fundentes. Vitam petierunt et largitus est eis Deus, quam etiam illi proximis suis communicarunt ubique victores ad Deum profecti.“ Cf. Natalis Alex. diss. 3. in sec. 3. Morinus in comment. hist. de administr. sacr. poenit. l. 9. c. 26. Quare 8.) merito theologi catholici ad hanc provocant praxim, ut indulgentiarum probent usum in antiqua jam Ecclesia vigentem. Indulgentiae enim, si rem spectes, sunt relaxatio quaedam poenae temporalis peccatis debitae valida coram Deo per applicationem satisfactionum ex thesauro Ecclesiae. Sed seculo tertio lapsis pars poenitentiae et satisfactionis Deo debitae ab Ecclesiae praesulibus non citra quandam passionum satisfactionumque martyrum in eos derivationem relaxabatur. Conferebatur ergo illis veri nominis indulgentia. Cf. Bellarminus de indulg. l. 1. c. 3. prop. 2.

propheta Ezechiel pro delicto populi deprecaretur: *Terra*, inquit, *quaecunque peccaverit mihi, ut delinquat delictum, extendam manum meam super eam, et obteram stabilimentum panis, et immittam in eam famem, et auferam ab ea hominem et pecora. Et si fuerint tres viri hi in medio ejus, Noe et Daniel et Job, non liberabunt filios, neque filias, ipsi soli salvi erunt* (Ezech. 14, 13). Adeo non omne quod petitur in praejudicio petentis, sed in dantis arbitrio est; nec quidquam sibi usurpat et vindicat humana sententia, nisi annuat et censura divina.

XX. Martyres contra Dei mandatum agere non possunt.

In Evangelio Dominus loquitur dicens: *Qui confessus me fuerit coram hominibus, et ego confitebor eum coram Patre meo, qui in coelis est. Qui autem me negaverit, et ego negabo eum* (Luc. 12, 8). Si negantem non negat, nec confitentem confitetur. Non potest Evangelium in parte consistere et in parte nutare. Aut utrumque oportet valeat, aut utrumque vim veritatis amittat. Si negantes rei criminis non erunt, nec confitentes praemium virtutis accipient. Porro si fides quae vicerit coronatur, necesse est ut victa

perfidia puniatur. Ita martyres aut nihil possunt, si Evangelium solvi potest; aut si Evangelium non potest solvi, contra Evangelium facere non possunt qui de Evangelio martyres fiunt. Nemo, fratres dilectissimi, nemo infamet martyrum dignitatem, nemo eorum glorias destruat et coronas. Manet incorruptae fidei robur incolume, nec dicere aliquid aut facere contra Christum potest cujus et spes et fides et virtus et gloria omnis in Christo est. Ut ab episcopis contra mandatum Dei fiat auctores esse non possunt qui ipsi Dei mandata fecerunt. An quisquam major Deo aut divina bonitate clementior, qui aut infectum velit quod passus est Deus fieri, aut quasi illi minus potestatis ad protegendam Ecclesiam suam fuerit, auxilio nos suo putet posse servari?

XXI. Deo permittente omnia contigerunt.

Nisi si haec ignaro Deo gesta sunt, aut non permittente illo omnia ista venerunt, cum doceat indociles et admoneat immemores Sriptura divina, quae loquitur dicens: *Quis dedit in direptionem Jacob et Israel iis, qui praedabantur illum? Nonne Deus, cui peccaverunt, et noluerunt in viis ejus ambulare neque audire legem ejus? Et super-*

duxit super eos iram animationis suae (Isa. 42, 24). Et alibi testatur ac dicit: *Numquid non valet manus Dei, ut salvos faciat, aut gravavit aurem, ut non exaudiat? Sed peccata vestra inter vos et Deum separant, et propter delicta vestra avertit faciem a vobis ne misereatur* (Isa. 59, 1). Delicta potius nostra reputemus, actus nostros et animi secreta revolventes, conscientiae merita ponderemus. Redeat in cor nostrum non ambulasse nos in viis Domini et abjecisse legem Dei, praecepta ejus et monita salutaria nunquam servare voluisse.

XXII. Lapsorum quorundam procacitas.

Quid de eo boni sentias, quem timorem fuisse apud eum, quam fidem credas quem corrigere nec metus potuit, quem persecutio ipsa non reformavit? Alta et erecta cervix nec quia cecidit inflexa est. Tumens animus et superbus nec quia victus est fractus est. Jacens stantibus et integris vulneratus minatur; et quod non statim Domini corpus inquinatis manibus accipiat, aut ore polluto Domini sanguinem bibat, sacerdotibus sacrilegus irascitur. Atque o tuam nimiam, furiose, dementiam! irasceris ei, qui abs te avertere iram Dei nititur; ei minaris, qui pro te Do-

mini misericordiam deprecatur, qui vulnus tuum sentit, quod ipse non sentis, qui pro te lacrymas fundit, quas forsitan ipse non fundis. Oneras adhuc crimen et cumulas; et cum sis ipse implacabilis ad antistites et sacerdotes Dei, putas circa te Dominum posse placari?

XXIII. Exhortatio ad lapsos.

Accipe potius et admitte quae loquimur. Quid surdae aures salutaria praecepta non audiunt, quae monemus? Quid coeci oculi poenitentiae iter non vident, quod ostendimus? Quid perculsa et alienata mens remedia vitalia non percipit, quae de Scripturis coelestibus et discimus et docemus? Aut si incredulis quibusdam minor fides est futurorum, vel praesentibus terreantur. Ecce eorum qui negaverunt quae supplicia conspicimus, quos eorum tristes exitus flemus? Nec hic esse sine poena possunt, quamvis necdum dies venerit poenae. Plectuntur interim quidam, quo ceteri corrigantur. Exempla sunt omnium tormenta paucorum.

XXIV. Exempla vindictae divinae.

Unus ex his, qui sponte Capitolium negaturus ascendit, postquam Christum negavit

obmutuit. Poena inde coepit, unde coepit et crimen; ut nec rogare jam posset qui verba ad precum misericordiam non haberet. Alia in balneis constituta (hoc enim crimini ejus et malis deerat, ut et ad balneas statim pergeret quae lavacri vitalis gratiam perdidisset) illic ab immundo spiritu immunda correpta laniavit dentibus linguam, qua fuerat vel pasta impie vel locuta. Postquam sceleratus cibus sumptus est, in perniciem suam rabies oris armata est. Ipsa sui carnifex exstitit, nec diu superesse postmodum potuit. Doloribus ventris et viscerum cruciata defecit.

XXV. Aliud exemplum.

Praesente ac teste me ipso accipite quid evenerit. Parentes forte fugientes dum trepidi minus consulunt, sub nutricis alimento parvulam filiam reliquerunt, relictam nutrix detulit ad magistratus. Illi ei apud idolum quo populus confluebat, quod carnem necdum posset edere per aetatem, panem mero mixtum, quod tamen et ipsum de immolatione pereuntium supererat, tradiderunt. Recepit filiam postmodum mater. Sed facinus puella commissum tam loqui et indicare non potuit, quam nec intelligere prius potuit nec arcere. Ignoratione igitur obreptum

est [1]), ut sacrificantibus nobis eam secum mater inferret. Sed enim puella mixta cum sanctis, precis nostrae et orationis impatiens, nunc ploratu concuti, nunc mentis aestu coepit fluctuabunda jactari, et velut tortore cogente, quibus poterat indiciis conscientiam facti in simplicibus adhuc annis rudis anima fatebatur. Ubi vero solemnibus adimpletis calicem diaconus offerre praesentibus coepit, et accipientibus ceteris locus ejus advenit, faciem suam parvula instinctu divinae majestatis avertere, os labiis obturantibus premere, calicem recusare. Perstitit tamen diaconus, et reluctanti licet de sacramento calicis infudit. Tunc sequitur singultus et vomitus. In corpore atque ore violato eucharistia permanere non potuit. Sanctificatus in Domini sanguine potus de pollutis visceribus erupit. Tanta est potestas Domini, tanta majestas. Secreta tenebrarum sub ejus luce detecta sunt, sacerdotem Dei nec occulta crimina fefellerunt.

---

[1]) *Ignoratione igitur obreptum est* i. e. cum hoc crimen ignotum esset, puella, quae aliter a sacrorum mysteriorum participatione fuisset exclusa, interesse sacro permittebatur, in cujus fine pro illius temporis more adstantes, etiam infantes, ad sacram admittebantur communionem.

XXVI. Poenae latentis criminis reis divinitus inflictae.

Hoc circa infantem, quae ad eloquendum alienum circa se crimen necdum habuit aetatem. At vero ea, quae aetate provecta et in annis adultioribus constituta sacrificantibus nobis latenter obrepsit, non cibum sed gladium sibi sumens, et velut quaedam venena letalia intra fauces et pectus admittens, angi et anima exaestuante concludi postmodum coepit. Et pressuram non jam persecutionis sed delicti sui passa, palpitans et tremens concidit. Impunitum diu non fuit nec occultum dissimulatae conscientiae crimen. Quae fefellerat hominem, Deum sensit ultorem. Et cum quaedam arcam suam, in qua Domini sanctum fuit, manibus indignis tentasset aperire, igne inde surgente deterrita est ne auderet attingere. Et quidam alius, quia et ipse maculatus, sacrificio a sacerdote celebrato, partem cum ceteris ausus est latenter accipere, sanctum Domini edere et contrectare non potuit, cinerem ferre se apertis manibus invenit [1]). Documento unius osten-

[1]) Primis Ecclesiae seculis usu receptum fuit, at fideles, praesertim persecutionis tempore, sacram eucharistiam, quam hic s. Cyprianus *sanctum Domini* vel

sum est Dominum recedere cum negatur, nec immerentibus ad salutem prodesse quod sumitur, quando gratia salutaris in cinerem sanctitate fugiente mutatur. Quam multi quotidie poenitentiam non agentes, nec delicti sui conscientiam confitentes, immundis spiritibus adimplentur, quam multi usque ad insaniam mentis excordes dementiae furore quatiuntur? Nec necesse est ire per exitus singulorum, cum per orbis multiformes ruinas tam delictorum poena sit varia quam delinquentium multitudo numerosa. Unusquisque consideret, non quid alius passus sit, sed quid pati et ipse mereatur. Nec evasisse se credat, si eum interim poena distulerit, cum timere plus debeat, quam sibi Dei judicis ira servavit.

XXVII. Etiam libellaticis agenda est poenitentia.

Nec sibi quominus agant poenitentiam blandiantur qui esti nefandis sacrificiis manus non contaminaverunt, libellis tamen con-

---

gratiam salutarem appellat, secum domum ferrent, quod audivimus jam a Tertulliano (de orat. c. 19. opusc. T. 2. p. 25). Habes hinc insigne documentum, quo praxis confirmetur Ecclesiam asservandi sacram eucharistiam, ut semper possint refici fideles.

scientiam polluerunt [1]). Et illa professio denegantis contestatio est christiani quod fuerat abnuentis. Fecisse se dixit quicquid alius faciendo commisit. Cumque scriptum sit: *Non potestis duobus dominis servire* (Matth. 6, 24), servivit seculari domino qui obtemperavit ejus edicto; magis obaudivit humano imperio quam Deo. Viderit an minore vel dedecore vel crimine apud homines publicaverit quod admisit. Deum tamen judicem fugere et vitare non poterit, cum dicat Spiritus sanctus in psalmis: *Quod est imperfectum meum viderunt oculi tui, et in libro tuo omnes scribentur* (Psal. 138, 16). Et iterum: *Homo videt in facie, Deus autem in corde* (1. Reg. 16, 7). Ipse quoque Do-

[1]) In quo positum sit eorum delictum, qui propter libellos persecutionis tempore a magistratu acceptos *libellatici* dicebantur, non una est doctorum virorum sententia, qua de q. cf. Maranum in vita s. Cypriani § 6., qui expensis variis sententiis concludit: „Existimo itaque libellaticos nec voce nec scripto impie quidquam aut facturos promisisse aut a se factum declarasse, sed idcirco vituperatos et justae poenitentiae addictos fuisse, quod securitatis libellos a magistratibus impetrassent ea lege et conditione, ut in actis publicis scriberetur, eos sacrificasse et Christum negasse, quamvis neutrum commisissent", quam sententiam variis argumentis dein comprobare nititur.

minus praemoneat et praestruat dicens: *Et sciant omnes ecclesiae, quia ego sum scrutator renis et cordis* (Apoc. 2, 23). Perspicit ille abdita, et secreta atque occulta considerat. Nec Dei oculos potest aliquis evadere dicentis: *Ego Deus approximans, et non Deus de longinquo. Si absconditus fuerit homo in absconditis, ego ergo non videbo eum? Nonne coelum et terram ego impleo* (Hier. 23, 23)? Videt ille corda et pectora singulorum, et judicaturus est non tantum de factis, sed et de verbis et de cogitationibus nostris, omnium mentes voluntatesque conceptas in ipsis adhuc clausi pectoris latebris intuetur.

XXVIII. Licet minor sit culpa, non sunt tamen immunes a crimine.

Denique quanto et fide majores et timore meliores sunt qui quamvis nullo sacrificii aut libelli facinore constricti, quoniam tamen de hoc vel cogitaverunt, hoc ipsum apud sacerdotes Dei dolenter et simpliciter confitentes, exomologesim conscientiae faciunt, animi sui pondus exponunt, salutarem medelam parvis licet et modicis vulneribus exquirunt, scientes scriptum esse: *Deus non deridetur* (Gal. 6, 7). Derideri et circumveniri Deus

non potest, nec astutia aliqua fallente deludi. Plus imo delinquit qui secundum hominem Deum cogitans evadere se poenam criminis credit, si non palam crimen admisit. Christus in praeceptis suis dicit: *Qui confusus me fuerit, confundet eum filius hominis* (Marc. 8, 38). Et christianum se putat qui christianus esse aut confunditur aut veretur? Quomodo potest esse cum Christo qui ad Christum pertinere aut erubescit aut metuit? Minus plane peccaverit non videndo idola, nec sub oculis circumstantis atque insultantis populi sanctitatem fidei profanando, non polluendo manus suas funestis sacrificiis, nec sceleratis cibis ora maculando. Hoc eo proficit ut sit minor culpa, non ut innocens conscientia. Facilius potest ad veniam criminis pervenire. Non est tamen immunis a crimine. Nec cesset in agenda poenitentia atque in Domini misericordia deprecanda, ne quod minus esse in qualitate delicti videtur, in neglecta satisfactione cumuletur.

XXIX. Exhortatio ad poenitentiam.

Confiteantur singuli, quaeso vos, fratres dilectissimi, delictum suum dum adhuc qui deliquit in seculo est, dum admitti confessio ejus potest, dum satisfactio et remissio facta

per sacerdotes apud Dominum grata est. Convertamur ad Dominum mente tota; et poenitentiam criminis veris doloribus exprimentes, Dei misericordiam deprecemur. Illi se anima prosternat, illi moestitia satisfaciat. illi spes omnis incumbat. Rogare qualiter debeamus dicit ipse. *Revertimini*, inquit, *ad me ex toto corde vestro, simulque et jejunio et fletu et planctu; et scindite corda vestra, et non vestimenta vestra* (Joël 2, 12). Ad Dominum toto corde redeamus. Iram et offensam ejus jejuniis, fletibus, planctibus, sicut admonet ipse, placemus.

XXX. Quinam poenitentiam non agant.

Lamentari eum putamus ex toto corde, jejuniis, fletibus, planctibus Dominum deprecari qui ex primo criminis die lavacra quotidie cum feminis celebrat, qui epulis affluentibus pastus et sagina largiore distentus cruditates suas postridie ructat, nec cibos et potus suos cum pauperum necessitate communicat? Qui hilaris ac laetus incedit quomodo mortem suam deflet? Cumque scriptum sit: *Non corrumpetis effigiem barbae vestrae* (Levit. 19, 27), barbam vellit et faciem suam comit? Et placere nunc cuiquam studet qui Deo displicet? An illa ingemiscit

et plangit, cui vacat cultum pretiosae vestis induere nec indumentum Christi quod perdidit cogitare, accipere pretiosa ornamenta et monilia elaborata, nec divini et coelestis ornatus damna deflere? Tu licet indumenta peregrina et vestes sericas induas, nuda es. Auro te licet et margaritis gemmisque condecores, sine Christi decore deformis es. Et quae capillos tuos inficis, vel nunc in doloribus desine; et quae nigri pulveris ductu oculorum liniamenta depingis, vel nunc lacrymis oculos tuos ablue. Si quem de tuis carum mortalitatis exitu perdidisses, ingemisceres dolenter et fleres, facie inculta, veste mutata, neglecto capillo, vultu nubilo, ore dejecto indicia moeroris ostenderes. Animam tuam, misera, perdidisti, spiritaliter mortua supervivere hic tibi et ipsa ambulans funus tuum portare coepisti, et non acriter plangis, non jugiter ingemiscis, non te vel pudore criminis vel continuatione lamentationis abscondis. Ecce pejora adhuc peccandi vulnera, ecce majora delicta, pecasse nec satisfacere, deliquisse nec delicta deflere.

XXXI. Exemplum Danielis et trium puerorum.

Ananias, Azarias, Misahel illustres ac nobiles pueri, quominus exomologesim Deo

facerent nec inter flammas et camini exaestuantis incendia quieverunt. Bene sibi licet conscii, et Dominum fidei ac timoris obsequio saepe promeriti, humilitatem tamen tenere et Domino satisfacere nec inter ipsa gloriosa virtutum suarum martyria destiterunt. Loquitur Scriptura divina: *Stans*, inquit, *Azarias precatus est, et aperuit os suum, et exomologesim faciebat Deo simul cum sodalibus suis in medio ignis* (Dan. 3, 25). Daniel quoque post fidei atque innocentiae suae multiplicem gratiam, post dignationem Domini circa virtutes ac laudes suas saepe repetitam, jejuniis adhuc promereri Deum nititur, in sacco et in cinere volutatur, exomologesim faciens dolenter et dicens: *Dominus Deus magnus et fortis et metuendus, qui servas testamentum tuum et miserationes eis, qui te diligunt et conservant imperia tua; peccavimus, facinus admisimus, impii fuimus, trangressi sumus, ac deseruimus praecepta tua et judicia tua, non audivimus verba puerorum tuorum prophetarum, quae locuti sunt in nomine tuo super reges nostros et omnes gentes et super omnem terram. Tibi, Domine, justitia, nobis autem confusio* (Dan. 9, 4 ss.).

XXXII. Exhortatio ad poenitentiam.

Haec mites, haec simplices, haec innocentes in promerenda Dei majestate fecerunt; et nunc satisfacere et Dominum rogare detrectant qui Dominum negaverunt. Quaeso vos, fratres, acquiescite salubribus remediis, consiliis obedite melioribus, cum lacrymis nostris vestras lacrymas jungite, cum nostro gemitu vestros gemitus copulate. Rogamus vos, ut pro vobis Deum rogare possimus. Preces ipsas ad vos prius vertimus, quibus Deum pro vobis ut misereatur oramus. Agite poenitentiam plenam, dolentis ac lamentantis animi probate moestitiam.

XXXIII. Quorundam obstinatio neminem moveat.

Nec vos quorundam moveat aut error improvidus aut stupor vanus, qui cum teneantur in tam gravi crimine, percussi sunt animi coecitate, ut nec intelligant delicta nec plangant. Indignantis Dei major haec plaga est, sicut scriptum est: *Et dedit illis Deus spiritum transpunctionis* (Isa. 29, 10). Et iterum: *Dilectum veritatis non receperunt ut salvi fierent; ac propterea mittet illis Deus operationem erroris, ut credant men-*

dacio, ut judicentur omnes, qui non crediderunt veritati, sed sibi placent in injustitia (s. Thess. 2, 102). Injuste sibi placentes et transpunctae mentis alienatione dementes Domini praecepta comtemnunt, medelam vulneris negligunt, agere poenitentiam nolunt. Ante admissum facinus improvidi, post facinus obstinati, nec prius stabiles, nec postmodum supplices. Quando debuerant stare, jacuerunt; quando jacere et prosternere se Deo debent, stare se opinantur. Pacem sibi ultro nemine dante sumpserunt. Falsa pollicitatione seducti, et apostatis ac perfidis juncti, errorem pro veritate suscipiunt. Communicationem non communicantium ratam ducunt; hominibus contra Deum credunt, qui contra homines Deo non crediderunt.

XXXIV. Ejusmodi obstinati cavendi sunt.

Ejusmodi homines quantum potestis effugite, perniciosis contactibus adhaerentes salubri cautione vitate. Sermo eorum sicut cancer serpit, colloquium velut contagium transilit, noxia et venenata persuasio persecutione ipsa pejus interficit. Illic superest poenitentia quae satisfaciat. Qui autem poenitentiam criminis tollunt, satisfactionis viam claudunt. Ita fit ut dum temeritate quorun-

dam vel promittitur salus falsa vel creditur, spes verae salutis adimatur.

XXXV. Quomodo poenitentia sit agenda.

Vos vero, fratres dilectissimi, quorum timor in Deum pronus est, et in ruina licet animus constitutus, mali sui memor est, poenitentes ac dolentes peccata vestra perspicite, gravissimum conscientiae crimen agnoscite, ad intelligentiam delicti vestri oculos cordis aperite, nec desperantes misericordiam Domini, nec tamen jam veniam vindicantes. Deus quantum patris pietate indulgens semper et bonus est, tantum judicis majestate metuendus est. Quam magna deliquimus, tam granditer defleamus. Alto vulneri diligens et longa medicina non desit. Poenitentia crimine minor non sit. Putasne tu Dominum cito posse placari, quem verbis perfidis abnuisti, cui patrimonium praeponere maluisti, cujus templum sacrilega contagione violasti? Putas facile eum miserere tui, quem tuum non esse dixisti? Orare oportet impensius et rogare, diem luctu transigere, vigiliis noctes ac fletibus ducere, tempus omne lacrymosis lamentationibus occupare, stratos solo adhaerere cineri, in cilicio et sordibus volutari, post indumentum Christi perditum

nullum jam velle vestitum, post diaboli cibum malle jejunium, justis operibus incumbere, quibus peccata purgantur, eleemosynis frequenter insistere, quibus a morte animae liberantur. Quod adversarius auferebat Christus accipiat. Nec teneri jam nec amari patrimonium debet, quo quis et deceptus et victus est. Pro hoste vitanda res, pro latrone fugienda, pro gladio metuenda possidentibus et veneno. Ad hoc tantum profuerit quod remansit, ut inde crimen et culpa redimatur. Incunctanter et largiter fiat operatio, census [1]) omnis in medelam vulneris erogetur, opibus et facultatibus nostris qui de nobis judicaturus est Domino feneretur. Sic sub apostolis fides viguit. Sic primus credentium populus Christi mandata servavit. Prompti erant, largi erant, distribuendum per apostolos totum dabant, et non talia delicta redimebant.

XXXVI. Qui vere poenitentiam agunt, possunt sperare veniam.

Si precem toto corde quis faciat, si veris poenitentiae lamentationibus et lacrymis in-

---

[1]) *Operatio* i. e. eleemosyna; *census* i. e. patrimonium.

gemiscat, si ad veniam delicti sui Dominum justis et continuis operibus inflectat, misereri talium potest qui et misericordiam suam protulit dicens: *Cum conversus ingemueris, tunc salvaberis, et scies ubi fueris* (Is. 30, 15). Et iterum: *Nolo mortem morientis, dicit Dominus, quantum ut revertatur et vivat* (Ezech. 33, 11). Et Johel propheta pietatem Domini, Domino ipso monente, declarat: *Revertimini*, inquit, *ad Dominum Deum vestrum, quoniam misericors et pius est et patiens et multae miserationis, et qui sententiam flectat adversus malitias irrogatas* (Joël 2, 13). Potest ille indulgentiam dare, sententiam suam potest ille deflectere. Poenitenti, operanti, roganti potest clementer ignoscere, potest in acceptum referre quidquid pro talibus et petierint martyres et fecerint sacerdotes. Vel si quis plus eum suis satisfactionibus moverit, si ejus iram, si indignantis offensam justa deprecatione placaverit, dat ille et arma rursum quibus victus armetur, reparat et corroborat vires quibus fides instaurata vegetetur. Repetet certamen suum miles, iterabit aciem, provocabit hostem, et quidem factus ad proelium fortior per dolorem. Qui sic Deo satisfecerit, qui poenitentia facti sui, qui pudore delicti, plus

et virtutis et fidei de ipso lapsus sui dolore conceperit, exauditus et adjutus a Domino, quam contristaverat nuper laetam faciet Ecclesiam; nec jam solam Dei veniam merebitur, sed et coronam.

QUINTI SEPTIMII FLORENTII TERTULLIANI

DE POENITENTIA[1])

LIBER.

I. Veram poenitentiae rationem qui fide carent ignorant.

Poenitentiam, hoc genus hominum quod et ipsi retro fuimus, coeci sine Domini lumine, natura tenus norunt, passionem animi

[1]) Libellum hunc scripsit Tertullianus adhuc catholicus ante a. 197, ut probabilius censet Lumper (Hist. theol. crit. de vita, scriptis atque doctrina SS. PP. t. 4. c. 3. a. 2). De illo B. Rhenanus in praemisso ad eumdem argumento affirmat „commentarium hunc esse ejusmodi, ut theologi eum debeant ad unguem addiscere, nam egregium, pergit, monumentum est antiquitatis; tam sancte docet, tam pie suadet, tam instanter urget rem ecclesiasticae disciplinae summopere necessariam, *exomologesim* h. e. actum et ministerium poenitentiae.“

quandam esse, quae veniat de offensa sententiae prioris [1]). Ceterum a ratione ejus tantum absunt, quantum ab ipso rationis auctore. Quippe res Dei ratio; quia Deus omnium conditor nihil non ratione providit, disposuit, ordinavit; nihil non ratione tractari intelligique voluit. Igitur ignorantes quique Deum, rem quoque ejus [2]) ignorent necesse est: quia nullus omnino thesaurus extraneis patet. Itaque universam vitae conversationem sine gubernaculo rationis transfretantes, imminentem seculo procellam vitare non norunt. Quam autem in poenitentiae actu irrationaliter deversentur, vel uno isto satis erit expedire, cum illam etiam in bonis factis suis adhibent. Poenitet fidei, amoris, simplicitatis, patientiae, misericordiae: prout quid in ingratiam cecidit [3]), semetipsos exsecrantur, quia bene fecerint: eamque maxime

---

[1]) Sensus est: Hoc genus hominum, quod et ipsi antea fuimus, coeci, sine Domini lumine i. e. infideles, carentes lumine fidei poenitentiae nomine intelligunt dolorem animi inde obortum, quod ei displiceat sententia prior.

[2]) *Rem ejus* i. e. poenitentiam, quae est res Dei, quia a Deo inspirata, Deo placet, eum placat ejusque conciliat benevolentiam.

[3]) *In ingratiam*, si scil. horum quid ingratum, molestum fit.

poenitentiae speciem, quae optimis operibus irrogatur, in corde fingunt; meminisse curantes ne quid boni rursus praestent: contra, poenitentiae malorum levius incubant. Denique facilius per eandem delinquunt, quam per eandem recte faciunt.

II. Deus poenitentiam commendat, quae non est agenda de bonis operibus.

Quod si Dei ac per hoc rationis quoque compotes agerent, merita [1]) primo poenitentiae expenderent, nec unquam eam ad argumentum perversae emendationis adhiberent: modum denique poenitendi temperarent, quia et delinquendi tenerent, timentes Dominum scilicet. Sed ubi metus nullus, emendatio proinde nulla: ubi emendatio nulla, poenitentia necessario vana: quia caret fructu suo, cui eam Deus sevit, id est, hominis saluti [2]). Nam Deus post tot ac tanta delicta humanae temeritatis a principe generis Adam auspicata, post condemnatum hominem cum seculi dote [3]),

---

[1]) *Merita* i. e. commoda, momenta.

[2]) Hominis salus, quae in ejus consistit emendatione, fructus est, ad quem ferendum Deus poenitentiam *sevit* i. e. instituit.

[3]) *Cum seculi dote* i. e. cum mundo, quem dotis instar hominibus concessit.

post ejectum paradiso, mortique subjectum; cum rursus ad suam misericordiam maturavisset, jam inde in semetipso poenitentiam dedicavit [1]), rescissa sententia irarum pristinarum, ignoscere pactus operi et imagini suae. Itaque et populum sibi congregavit, et multis bonitatis suae largitionibus fovit, et ingratissimum totiens expertus, ad poenitentiam semper hortatus est, et prophetando universorum prophetarum emisit ora: mox gratiam pollicitus, quam in extremitatibus temporum per spiritum suum universo orbi illuminaturus esset, praeire intinctionem poenitentiae jussit, ut quos per gratiam vocaret ad promissionem semini Abraham destinatam, per poenitentiae subsignationem ante

[1]) *Poenitentiam dedicavit.* Sensus videtur: Cum homo post peccatum maturavisset i. e. mature se ad Dei misericordiam recepisset, poenitentiam Deus ipse in se dedicavit i. e. auspicatus est, sacravit, sanxit, poenitentiam agens rescindendo sententiam pristinam, qua iratus humanum delevit genus. *Odoratus* enim *odorem suavitatis* sacrificii, quod Noe obtulit, promisit: *Nequaquam ultra maledicam terrae propter homines* (Gen. 8, 21). Vel forte: *Poenitentiam in se dedicavit* i. e. cum homo mature se ad Dei misericordiam recepisset, retractavit Deus sententiam damnationis et ita approbavit poenitentiam, medium esse salutis ostendit, ac proinde eam veluti dedicavit hominesque ad eam agendam provocavit.

componeret [1]). Non tacet Joannes, *Poenitentiam initote* dicens, *jam enim salus nationibus appropinquabit* (Matth. 3, 2); Dominus scilicet afferens, secundum Dei promissum. Cui praeministrans, poenitentiam destinabat purgandis mentibus propositam: uti quidquid error vetus inquinasset, quidquid in corde hominis ignorantia contaminasset, id poenitentia verrens et radens, et foras abjiciens, mundam pectoris domum superventuro Spiritui sancto paret, quo se ille cum coelestibus bonis libens inferat. Horum bonorum unus est titulus, salus hominis, criminum pristinorum abolitione praemissa. Haec poenitentiae causa, haec opera, negotium divinae misericordiae curans [2]).

[1]) Sensus est: Poenitentiam praeire jussit intinctioni i. e. baptismo Joannis, ut homines per gratiam ad regnum coelorum vocati ante se componerent i. e. disponerent, praepararent per poenitentiae subsignationem scil. per poenitentiam baptismo (Joannis) tamquam signaculo obsignatam.

[2]) *Haec opera* etc. Abolitio pristinorum criminum poenitentiae est causa seu poenitentia est agenda ad abolenda pristina crimina, hinc sicut propter finem sunt media, ita propter abolitionem criminum est poenitentia; haec opera i. e. hic est labor, hic scopus poenitentiae, curare seu procurare id, quod est negotium divinae misericordiae, remissionem scil. peccatorum, gratiam, veniam.

Quod homini proficit, Deo servit. Ceterum ratio ejus, quam cognito Domino discimus, certam formam tenet, ne bonis unquam factis cogitatisve quasi violenta aliqua manus injiciatur. Deus enim reprobationem bonorum ratam non habet, utpote suorum: quorum cum auctor et defensor sit, necesse est proinde et acceptator; si acceptator, etiam remunerator. Viderit ergo ingratia hominum, si etiam bonis factis poenitentiam cogit; viderit et gratia, si captatio ejus ad benefaciendum incitamento est, terrena, mortalis utraque. Quantulum enim compendii, si grato benefeceris? vel dispendii, si ingrato? Bonum factum Deum habet debitorem, sicut et malum: quia judex omnis remunerator est causae [1]). At cum judex Deus justitiae caris-

[1]) Sensus hujus loci videtur esse, poenitentiam de bonis operibus non esse agendam, quare caveant sibi homines, ne timore ingratiae i. e. displicendi hominibus poenitentiam agant de bonis operibus ab iis abstinendo (qui enim quae ante facere solebat, non amplius facit, quasi facti poenitens videtur), neque studio hominibus placendi ad bonum agendum impellantur. Utrumque enim gratia et ingratia hominum, favor et odium transeunt, terrena sunt. Quid enim lucrantur, si homini benefecerint grato vel quid patiuntur damni, si ingrato, cum bene operando Deum sibi faciant debitorem? etc.

simae sibi exigendae tuendaeque praesideat, et in eam omnem summam disciplinae suae sanciat, dubitandum est, sicut in universis actibus nostris, ita in poenitentiae quoque causa, justitiam Deo praestandam esse? quod quidem ita impleri licebit, si peccatis solummodo adhibeatur. Porro peccatum, nisi malum factum dici non meretur, nec quisquam benefaciendo delinquit: quod si non delinquit, cur poenitentiam invadit delinquentium privatum [1])? cur malitiae officium bonitati suae imponit? Ita evenit, ut cum aliquid ubi non oportet adhibetur, illic ubi oportet negligatur.

III. Delictorum alia sunt interna, externa alia.

Quorum ergo poenitentia justa et debita videatur, id est, quae delicto deputanda sint, locus quidem expostulat denotare, sed otiosum videri potest. Domino enim cognito, ultro spiritus a suo auctore respectus [2]) emergit ad notitiam veritatis, et admissus ad dominica praecepta ex ipsis statim eruditur, id

[1]) Qui male non egit, invadere non debet poenitentiam, quae propria est delinquentium; cur sibi imponere vult officium, debitum malorum?

[2]) *Respectus* i. e. illustratus.

peccato deputandum, a quo Deus arceat: quoniam cum Deum grande quid boni constet esse, utique bono nisi malum non displiceret; quod inter contraria sibi nulla amicitia est. Perstringere tamen non pigebit, delictorum quaedam esse carnalia, id est, corporalia; quaedam vero spiritalia. Nam cum ex hac duplicis substantiae congregatione confectus homo sit, non aliunde delinquit, quam unde constat. Sed non eo inter se differunt, quod corpus et spiritus duo sunt: alioqui eo magis paria sunt, quia duo unum efficiunt; ne quis pro diversitate materiarum peccata eorum discernat, ut alterum altero levius aut gravius existimet. Siquidem et caro et spiritus Dei res; alia manu ejus expressa, alia afflatu ejus consummata. Cum ergo ex pari ad Dominum pertineant, quodcumque eorum deliquerit, ex pari Dominum offendit. An tu discernas actus carnis et spiritus? quorum et in vita, et in morte, et in resurrectione, tantum communionis atque consortii est, ut pariter tunc aut in vitam aut in judicium suscitentur; quia scilicet pariter aut deliquerint, aut innocenter egerint. Hoc eo praemiserimus, ut non minorem alteri quam utrique parti, si quid deliquerit, poenitentiae necessitatem intelligamus impendere. Com-

munis reatus amborum est, communis et judex, Deus scilicet: communis igitur et poenitentiae medela. Exinde spiritalia et corporalia nominantur, quod delictum omne aut agitur aut cogitatur: ut corporale sit, quod in facto est, quia factum, ut corpus, et videri et contingi habet; spiritale vero, quod in animo est, quia spiritus neque videtur neque tenetur. Per quod ostenditur, non facti solum, verum et voluntatis delicta vitanda, et poenitentia purganda esse. Neque enim si mediocritas humana e factis solum judicat, quia voluntatis latebris par non est, idcirco crimina ejus etiam sub Deo negligamus. Deus in omnia sufficit. Nihil a conspectu ejus remotum, unde omnino delinquitur, quia non ignorat, nec omittit, quominus in judicium decernat. Dissimulator et praevaricator perspicaciae suae non est. Quid, quod voluntas facti origo est? Viderint enim, si qua casui, aut necessitati, aut ignorantiae imputantur, quibus exceptis, jam nonnisi voluntate delinquitur. Cum ergo facti origo est, non tanto potior ad poenam est, quanto principalis ad culpam, quae ne tunc quidem liberatur, cum aliqua difficultas perpetrationem ejus intercipit. Ipsa enim sibi imputatur, nec excusari poterit per illam perficiendi infelicitatem,

operata quod suum fuerat. Denique Dominus quemadmodum se adjectionem legi superstruere demonstrat, nisi et voluntatis interdicendo delicta? cum adulterum non eum solum definit qui cominus in alienum matrimonium cecidisset, verum etiam illum qui aspectus concupiscentia contaminasset (Matth. 5, 28). Adeo quod prohibetur administrare, satis periculose animus sibi repraesentat, et temere per voluntatem expungit effectum [1]). Cujus voluntatis cum vis tanta sit, cur non solatium sui saturans, pro facto cedat? pro facto ergo plectetur [2]). Vanissimum est dicere: Volui, nec tamen feci. Atquin perficere debes, quia vis; aut nec velle, quia nec perficis. Sed ipse conscientiae tuae confessione pronuncias. Nam si bonum concupisceres, perficere gestisses: porro sicut malum non perficis, nec concupiscere de-

---

[1]) *Expungit effectum* i. e. perficit, adimplet. Voluntas apud Deum operis loco est, hinc temere voluntas perficere aliquid, quod facere Deus prohibuit, desiderat; solo desiderio rea est operis.

[2]) Aliae editiones habent: Cujus voluntatis cum vis tanta sit, ut non solatium sui saturans pro facto cedat, pro facto ergo plectetur. Altera tamen sententiam magis cohaerentem exhibet. *Non solatium sui saturans* i. e. solatium, desiderium suum non explens, perficiens.

bueras. Quaqua te constitueris, crimine astringeris: quia aut malum volueris, aut bonum non adimpleveris [1]).

IV. Exhortatio ad poenitentiam.

Omnibus ergo delictis seu carne, seu spiritu, seu facto, seu voluntate commissis, qui poenam per judicium destinavit, idem et veniam per poenitentiam spopondit, dicens ad populum: *Poenitere, et salvum faciam te* (Ezech. 18, 21). Et iterum: *Vivo*, inquit Dominus, *et poenitentiam malo quam mortem* (Ibid. 23). Ergo poenitentia vita est, cum praeponitur morti. Eam tu peccator, mei similis (imo me minor; ego enim praestantiam in delictis meam agnosco), ita invade, ita amplexare, ut naufragus alicujus tabulae fidem: haec te peccatorum fluctibus mersum prolevabit, et in portum divinae clementiae protelabit. Rape occasionem inopinatae felicitatis: ut ille tu, nihil quondam penes Deum nisi *stilla situlae, et areae pulvis* (Isai 40, 15), *et vasculum figuli* (Jer. 19, 11);

[1]) Non valet, inquit Tertullianus, excusatio: Volui quidem, non tamen feci. Quod enim voluisti vel erat malum vel bonum. Si malum, ipsa mali voluntas est mala; si bonum, deliquisti quod illud opere non compleveris.

arbor exinde fias illa, quae penes aquas seritur, et in foliis perennat, et tempore suo fructus agit (Psal. 1, 3), quae non ignem, non securim videbit (Mat. 3, 10). Poeniteat errorum reperta veritate; poeniteat amasse quae Deus non amat, quando ne nos quidem ipsi servulis nostris ea, quibus offendimur, non odisse permittimus. Obsequii enim ratio in similitudine animorum constituta est. De bono poenitentiae enumerando diffusa, et per hoc magno eloquio committenda materia est. Nos vero pro nostris angustiis unum inculcamus, bonum atque optimum esse quod Deus praecipit. Audaciam existimo de bono divini praecepti disputare. Neque enim quia bonum est, idcirco auscultare debemus, sed quia Deus praecipit. Ad exhibitionem obsequii, prior est majestas divinae potestatis. Prior est auctoritas imperantis, quam utilitas servientis. Bonum est poenitere, an non? Quid revolvis? Deus praecipit. At ille non praecipit tantum, sed etiam hortatur. Invitat praemio. salute; jurans etiam: Vivo, dicens; cupit credi sibi. O beatos nos, quorum causa Deus jurat! o miserrimos, si nec juranti Domino credimus! Quod igitur Deus tantopere commendat, quod etiam humano more sub dejeratione testatur, summa utique gravitate et aggredi

et custodire debemus; ut in asseveratione divinae gratiae permanentes, in fructu quoque ejus et emolumento proinde perseverare possimus.

V. Poenitentia jam acta delictorum iteratione non est rescindenda.

Hoc enim dico, poenitentiam, quae per Dei gratiam ostensa et indicta nobis in gratiam nos Domino revocat, semel cognitam atque susceptam, nunquam posthac iteratione delicti resignari oportere [1]). Jam quidem nullum ignorantiae praetextum tibi patrocinatur, quod Domino agnito praeceptisque ejus admissis, denique poenitentia delictorum functus, rursus te in delicta restituis. Ita in quantum ignorantia segregaris, in tantum contumaciae agglutinaris [2]). Nam si idcirco te deliquisse poenituerat, quia Dominum coeperas timere, cur, quod metus gratia gessisti, rescindere maluisti, nisi quia

---

[1]) *Resignari oportere* i. e. poenitentia impetratione gratiae sigillo velut obsignata et ratihabita delicti iteratione non est retractanda, rescindenda, irrita facienda.

[2]) In quantum ignorantia segregaris i. e. ab ignorantia recedis, in cognitione proficis, in tantum, si peccas, majoris contumaciae es reus.

metuere desiisti? Neque enim timorem alia res, quam contumacia subvertit. Cum etiam ignorantes Dominum [1]) nulla exceptio tueatur a poena (quia Deum in aperto constitutum et vel ex ipsis coelestibus bonis comprehensibilem ignorari non licet), quanto cognitum despici periculosum est! Despicit porro qui bonorum ac malorum intellectum ab illo consecutus, quod intelligit fugiendum quodque jam fugit resumens, intellectui suo, id est Dei dono, contumeliam facit: respuit datorem, cum datum deserit; negat beneficium, cum beneficium non honorat. Quemadmodum ei potest placere, cujus munus sibi displicet? Ita in Dominum non modo contumax, sed etiam ingratus apparet. Ceterum non leviter in Dominum peccat, qui cum aemulo ejus diabolo poenitentia renunciasset, et hoc nomine illum Domino subjecisset, rursus eundem regressu suo erigit, et exsultationem ejus seipsum facit: ut denuo malus, recuperata praeda sua, adversus Dominum gaudeat. Nonne, quod dicere quoque periculosum est, sed ad aedificationem proferendum est, diabolum Domino praeponit?

---

[1]) *Ignorantes Dominum* i. e. infideles, qui Deum per fidem non cognoscunt.

Comparationem enim videtur egisse, qui utrumque cognoverit, et judicato pronunciasse, eum meliorem, cujus se rursus esse maluerit. Ita qui per delictorum poenitentiam instituerat Domino satisfacere, diabolo per aliam poenitentiae poenitentiam satisfaciet; eritque tanto magis perosus Deo, quanto aemulo ejus acceptus. Sed aiunt quidam: Satis Deum habere, si corde et animo suspiciatur, licet actu minus fiat. Itaque se salvo metu et fide peccare; hoc est, salva castitate matrimonia violare; salva pietate parenti venenum temperare [1]). Sic ergo et ipsi salva venia in gehennam detrudentur, dum salvo metu peccant. Primum exemplum perversitatis [2]), quia timent, delinquunt: opinor, non

---

[1]) *Sed ajunt quidam* etc. Incredulorum recentiorum more ajebant jam Tertulliani tempore quidam, Deum respicere tantum cor eique serviendum esse in spiritu et veritate, proinde sufficere poenitentiam, quae corde agitur, licet actu minus fiat i. e. licet externis satisfactionis actibus minus se prodat. Hos facete Tertullianus irridet, hinc nimirum sequi, sufficere quoque cordis castitatem absque castitate corporis etc.

[2]) *Primum exemplum* i. e. novum, inauditum perversitatis, quia timent i. e. quia putant sufficere Deum corde et animo timere et colere, opere delinquere; *opinor si non timerent*, si tam perversa de Deo colendo judicia non sectarentur (cf. adnot. praecedentem), non delinquerent.

delinquerent, si non timerent. Igitur qui Deum nolit offensum, nec revereatur omnino, si timor offendendi patrocinium est. Sed ista ingenia de semine hypocritarum pullulare consuerunt, quorum individua cum diabolo amicitia est, quorum poenitentia nunquam fidelis.

VI. Poenitentia etiam catechumenis serio est agenda nec procrastinanda.

Quidquid ergo mediocritas nostra ad poenitentiam semel capessendam et perpetuo continendam suggerere conata est, omnes quidem deditos Domino spectat [1]), ut omnis salutis in promerendo Deo petitores; sed praecipue novitiolis istis imminet: qui, cum maxime incipiunt divinis sermonibus aures rigare, quique catuli infantiae adhuc recentis nec perfectis luminibus incerta reptant: et dicunt quidem pristinis se renunciare, et poenitentiam assumunt, sed includere eam negligunt [2]). Interpellat enim illos ad desideran-

---

[1]) *Deditos Domino spectat.* Haec ad poenitentiam exhortatio ad omnes quidem Dei servos et cultores spectat, sed praecipue ad catechumenos, qui religionis christianae novitii sunt et tirones.

[2]) *Includere eam negligunt* i. e. ut ex sequentibus patet, negligunt poenitentiam concludere baptismo,

dum ex pristinis aliquid, ipse finis desiderandi: velut poma, cum jam in acorem vel amaritudinem senescere incipiunt, ex parte aliqua tamen adhuc ipsi gratiae suae adulantur. Omne praeterea cunctationis et tergiversationis erga poenitentiam vitium praesumptio intinctionis importat. Certi enim indubitatae veniae delictorum, medium tempus interim furantur; et commeatum sibi faciunt delinquendi, quam eruditionem non delinquendi. Quam porro ineptum, quam iniquum poenitentiam non adimplere, et veniam delictorum sustinere [1]): hoc est, pretium non exhibere, ad mercem manum emittere. Hoc enim pretio Dominus veniam addicere instituit; hac poenitentiae compensatione redimendam proponit impunitatem. Si ergo qui venditant, prius nummum, quo paciscuntur,

---

qui sigilli instar erat, quo poenitentia serio acta concludebatur; ideo autem plures hanc per baptismum obsignationem differebant, quod scirent baptismo certo conferri delictorum veniam eoque suscepto omni renunciandum esse peccato; hinc finis desiderandi pristina i. e. debitum, quo obstringuntur baptizati, cavendi a desideriis pravis pristinorum seu ab omnibus malis pristinis et certa veniae praesumptio pluribus occasio exstiterunt procrastinandi baptismum, ut sic adhuc possent delinquere.

[1]) *Sustinere* i. e. exspectare.

examinant, ne scalptus, neve rasus, ne adulter; etiam Dominum credimus poenitentiae probationem prius inire, tantam nobis mercedem, perennis scilicet vitae, concessurum. Sed differamus tantisper poenitentiae veritatem. Tunc, opinor, emendatos liquebit, cum absolvimur [1]). Nullo pacto. Sed cum pendente venia, poena prospicitur; cum adhuc liberari non meremur, ut possimus mereri; cum Deus comminatur, non cum ignoscit. Quis enim servus, postquam libertate mutatus est, furta sua et fugas sibi imputat? Quis miles, postquam castris suis emissus, pro notis suis satagit? Peccator ante veniam deflere se debet, quia tempus poenitentiae idem quod periculi et timoris. Neque ego renuo divinum beneficium, id est, abolitionem delictorum, inituris aquam omnimodo

---

[1]) *Tunc opinor emendatos* etc. Hujus loci nonnihil obscuri hic videtur sensus: Quando nos, qui poenitentiam agimus, de emendatione erimus solliciti? Cum absolvimur i. e. cum per baptismum peccatorum veniam consecuti sumus? Minime, inquit. Quis enim servus libertatem consecutus, de suis furtis praeteritis erit sollicitus? Quis miles etc. Emendationis tempus est ipsum poenitentiae tempus, cum pendente i. e. adhuc suspensa venia poena prospicitur, cum nos venia adhuc indignos agnoscimus ac idcirco humiliamur, ut veniam possimus mereri.

salvum esse [1]); sed ut eo pervenire contingat, elaborandum est. Quis enim tibi tam infidae poenitentiae viro asperginem unam cujuslibet aquae commodabit? Furto quidem aggredi, et praepositum hujus rei asseverationibus tuis circumduci facile est [2]). Sed Deus thesauro providet, nec sinit obrepere indignos. Quid denique ait? *Nihil occultum quod non revelabitur* (Matth. 10, 26): quantascunque tenebras factis tuis superstruxeris, Deus lumen est. Quidam autem sic opinantur, quasi Deus necesse habeat praestare etiam indignis quod spopondit, et liberalitatem ejus faciunt servitutem. Quod si necessitate nobis symbolum mortis indulget, ergo invitus facit. Quis enim permittit permansurum id, quod tribuerit invitus? non enim multi postea excidunt? non a multis donum illud aufertur? Hi sunt scilicet, qui obrepunt; qui poenitentiae fidem agressi, super arenas domum ruituram collocant [3]). Nemo ergo

[1]) *Renuo* i. e. nego; *inituris aquam* i. e. *baptizandis* scil. per immersionem.

[2]) *Quis enim tibi* etc. Nemo tam male agentem poenitentiam vel gutta una aquae communis dignabitur, tantum abest ut velit te baptizare. Potes quidem furtive irrepere et ministrum lavacro conferendo praepositum decipere, sed etc.

[3]) Poenitentiae fidem aggredientes sunt qui in-

sibi aduletur, quia inter auditorum tirocinia deputatur, quasi eo etiam nunc sibi delinquere liceat. Dominum simul cognoveris, timeas; simul inspexeris, reverearis. Ceterum quid te cognovisse interest, cum iisdem incubas, quibus retro ignarus? Quid autem te a perfecto Dei servo separat [1])? An alius est intinctis Christus, alius audientibus? num spes alia, vel merces? alia formido judicii, alia necessitas poenitentiae? Lavacrum illud obsignatio est fidei, quae fides a poenitentiae fide incipitur et commendatur. Non ideo abluimur, ut delinquere desinamus, sed quia desiimus: quoniam jam corde loti sumus. Haec enim prima audientis intinctio est, metus integer; exinde quoad Dominum senseris, fides sana, conscientia semel poenitentiam amplexata. Ceterum si ab aquis peccare desistimus, necessitate non sponte innocentiam induimus. Quis ergo in bonitate praecellens,

---

cipiunt credere poenitendum esse, sed seriam et sinceram poenitentiam non agentes super arenas domum ruituram collocant.

[1]) *Quid te cognovisse interest* i. e. quid tibi prodest per fidem cognovisse veritatem, si eadem patras mala, quae quondam ignarus i. e. infidelis ante fidem susceptam? Quid autem te non baptizatum a perfecto Dei servo seu a fideli baptizato distinguit?

cui non licet, an cui displicet malo esse [1])? qui jubetur, an qui delectatur a crimine vacare? Ergo nec a furto manus avertamus, nisi claustrorum duritia repugnet, nec oculos a stupri concupiscentiis refrenemus, nisi a custodibus corporum obstructi, si nemo Domino deditus delinquere desinet, nisi intinctione alligatus. Quod si qui ita senserit, nescio an intinctus magis contristetur, quod peccare desierit, quam laetetur quod evaserit. Itaque audientes optare intinctionem, non praesumere oportet. Qui enim optat, honorat: qui praesumit, superbit. In illo verecundia, in isto petulantia apparet. Ille satagit, hic negligit. Ille mereri cupit, at hic ut debitum sibi repromittit. Ille sumit, hic invadit. Quem

---

[1]) *Non ideo abluimur* etc. Sensus est: Non tum demum a peccatis abstinere oportet, cum baptizamur, sed jam corde loti i. e. a peccandi amore liberi ad baptismum accedere debemus. Primus veluti baptismus, quo accedentem ad Deum ablui oportet, metus et timor sit Dei, quo a peccando peccatique amore retrahatur; et deinde quamdiu Domino servis, baptismi instar sit fides sana, quam ei debes, et memoria seu conscientia semel jam actae poenitentiae. Si enim nonnisi a tempore baptismi a peccando abstinemus, non sponte, sed quasi inviti et coacti propter solemnes in baptismo datas promissiones facere id videbimur; quod autem necessitate non sponte servatur, magni non est pretii.

censeas digniorem, nisi emendatiorem? quem emendatiorem, nisi timidiorem, et idcirco vera poenitentia functum? Timuit enim adhuc delinquere, ne non mereretur accipere. At ille praesumptor, cum sibi repromitteret, securus scilicet, timere non potuit: sic nec poenitentiam implevit, quia instrumento poenitentiae, id est metu caruit. Praesumptio, inverecundiae portio est: inflat petitorem, despicit datorem. Itaque decipit nonnunquam. Ante enim quam debeatur repromittit, quo semper is qui est praestaturus offenditur.

VII. Post baptismum lapsis per poenitentiam venia patet.

Hucusque [1]), Christe Domine, de poenitentiae disciplina servis tuis dicere vel audire contingat, quousque etiam delinquere non oportet audientibus: vel nihil jam de poenitentia noverint, nihil ejus requirant. Piget

[1]) *Hucusque.* Quae hucusque dixerat ad poenitentiam spectant baptismo praemittendam; hoc in capite de poenitentia incipit disserere, qua peccata post baptismum commissa delentur; timet vero nonnihil de ea disputare, ne de remedio loquens ad peccandum provocet, ne „pateat ad delinquendum, quia patet ad poenitendum“.

secundae, imo jam ultimae spei subtexere mentionem: ne retractantes de residuo auxilio poenitendi, spatium adhuc delinquendi demonstrare videamur. Absit, ut aliquis ita interpretetur, quasi eo sibi etiam nunc pateat ad delinquendum, quia patet ad poenitendum; et redundantia clementiae coelestis libidinem faciat humanae temeritatis! Nemo idcirco deterior sit, quia Deus melior est, totiens delinquendo, quotiens ignoscitur. Ceterum finem utique evadendi habebit, cum offendendi non habebit. Evasimus semel, hactenus periculosis nosmetipos inferamus [1]), etsi iterum evasuri videmur. Plerique naufragio liberati, exinde repudium et navi et mari dicunt; et Dei beneficium, salutem suam scilicet, memoria periculi honorant. Laudo timorem, diligo verecundiam: nolunt iterum divinae misericordiae oneri esse; formidant videri inculcare quod consecuti sunt [2]); bona certe sollicitudine iterum experiri vitant, quod semel didicerunt timere. Ita modus temeritatis testatio est timoris. Timor autem ho-

---

[1]) *Hactenus* i. e. nunquam posthac nos periculosis i. e. periculis, peccatis inferamus.

[2]) *Formidant videri inculcare* forte conculcare, contemnere quod consecuti sunt iterum se periculo exponendo.

minis Dei honor est. Sed enim pervicacissimus hostis ille nunquam malitiae suae otium facit: atquin tunc maxime saevit, cum hominem plene sentit liberatum; tunc plurimum accenditur, dum exstinguitur [1]). Doleat et ingemiscat necesse est, venia peccatorum permissa, tot in homine mortis opera diruta, tot titulos damnationis retro suae erasos. Dolet, quod ipsum et angelos ejus Christi servus ille peccator judicaturus est (1. Cor. 6, 3). Itaque observat, oppugnat, obsidet, si qua possit aut oculos concupiscentia carnali ferire, aut animum illecebris secularibus irretire, aut fidem terrenae potestatis formidine evertere, aut a via certa perversis traditionibus detorquere: non scandalis, non tentationibus deficit. Haec igitur venena ejus providens Deus, clausa licet ignoscentiae janua, et intinctionis sera obstructa, aliquid adhuc permisit patere. Collocavit in vestibulo poenitentiam secundam, quae pulsantibus patefaciat; sed jam semel [2]), quia jam secundo; sed amplius nunquam, quia proxime frustra.

---

[1]) *Tunc plurimum accenditur* diabolus invidia et livore, *dum exstinguitur* ejus dominium venia peccatorum permissa i. e. concessa.

[2]) *Sed jam semel.* Cf. adnotationem supra ad Ambr. de poenit. L. 1. n. 28.

Non enim et hoc semel satis est? Habes quod jam non merebaris: amisiti enim quod acceperas. Si tibi indulgentia Domino accommodat, unde restituas, quod amiseras, iterato beneficio gratus esto, nedum ampliato: majus est enim restituere, quam dare; quoniam miserius est perdidisse, quam omnino non accepisse. Verum non statim succidendus ac subruendus est animus desperatione, si secundae quis poenitentiae debitor fuerit: pigeat sane peccare rursus, sed rursus poenitere non pigeat: pigeat iterum periclitari, sed non iterum liberari. Neminem pudeat. Iteratae valetudinis iteranda medicina est. Gratus in Dominum exstiteris, si quod tibi Dominus offert non recusaveris. Offendisti, sed reconciliari adhuc potes. Habes cui satisfacias, et quidem volentem.

VIII. Deus peccatoribus poenitentibus ignoscere est paratus.

Id si dubitas, evolve quae Spiritus ecclesiis dicat. Desertam dilectionem ephesiis imputat; stuprum et idolothytorum esum thyatirenis exprobrat; sardos non plenorum operum incusat; pergamenos docentes perversa reprehendit; laodicenos fidentes divitiis objurgat (Apoc. cc. 1-3): et tamen omnes

ad poenitentiam commonet, sub comminationibus quidem. Non comminaretur autem non poenitenti, si non ignosceret poenitenti. Dubium, si non et alibi hanc clementiae suae profusionem demonstrasset. *Non*, ait, *qui ceciderit resurget; et qui aversatus fuerit, convertetur* (Jerem. 8, 4)? Ille est scilicet, ille est qui *misericordiam mavult quam sacrificia* (Ose. 6, 6). Laetantur coeli, et qui illic angeli, poenitentia hominis. Heus tu peccator bono animo sis: vides ubi de tuo reditu gaudeatur. Quid illa similitudinum dominicarum argumenta nobis volunt? Quod *mulier drachmam perdidit, et requirit et reperit, et amicas ad gaudium invitat* (Luc. 15, 8, 9): nonne restituti peccatoris exemplum est? Errat et una pastoris ovicula, sed grex una carior non erat: una illa *conquiritur*, *una pro omnibus desideratur*, et tandem *invenitur*, *et humeris pastoris ipsius refertur* (Ibid. 5): multum enim errando laboraverat. Illum etiam mitissimum patrem non tacebo, qui prodigum filium revocat, et post inopiam poenitentem libens suscipit, immolat vitulum praeopimum, convivio gaudium suum exornat. Quidni? filium enim invenerat quem amiserat, cariorem senserat quem lucrifecerat. Quis ille

nobis intelligendus pater? Deus scilicet: tam pater nemo, tam pius nemo. Is ergo te filium suum, etsi acceptum ab eo prodegeris, etsi nudus redieris, recipiet, quia redisti: magisque de regressu tuo, quam de alterius sobrietate laetabitur. Sed si poeniteat ex animo, si famem tuam cum saturitate mercenariorum paternorum compares, si porcos immundum relinquas pecus, si patrem repetas vel offensum: *Deliqui*, dicens, *pater*, *nec dignus ego jam vocari tuus* (Ibid. 19). Tantum relevat confessio delictorum, quantum dissimulatio exaggerat. Confessio enim satisfactionis consilium est; dissimulatio, contumaciae.

IX. Qualis poenitentia sit agenda.

Hujus igitur poenitentiae secundae et unius, quanto in arto negotium est, tanto operosior probatio est; ut non sola conscientia praeferatur, sed aliquo etiam actu administretur [1]).

---

[1]) Haec igitur poenitentia secunda quo arctior est, eo pluribus magisque arduis satisfactionis operibus se manifestare oportet, ut fidem facere possit, eam seriam esse atque sinceram. Nec sufficit eam esse internam, sed externi quoque postulantur actus, quos exomologesis nomine complectens enumerat deinde atque describit.

Is actus qui magis graeco vocabulo exprimitur et frequentatur, exomologesis est, qua delictum Domino nostrum confitemur [1]), non quidem ut ignaro, sed quatenus satisfactio

---

[1]) *Qua delictum Domino nostrum confitemur.* Non negamus Patres de poenitentia deque peccatorum confessione disserentes hinc inde docere, peccata esse confitenda Deo, imo *soli Deo* nulla facta mentione sacerdotis; sed exinde minime sequitur, eos confessionis necessitatem, quam catholica tuetur Ecclesia, ignorasse nedum rejecisse. Quis enim 1.) ignoret, saepe et persaepe aliquid de Deo deque Deo *solo* affirmari, quin tamen propterea interventus causarum secundarum, vel eorum, qui pro Deo legatione funguntur, negetur. Legimus Deum *producere in montibus foenum et herbam, dare jumentis escam et pullis corvorum invocantibus eum* (Ps. 146, 8 s. Matth. 6, 26 ss.), num propterea *immediate* illud praestat seclusa creaturarum cooperatione? Profitemur *solius* Dei esse remittere peccata, num propterea non ea delet per baptismum, vel non remittit per eos, quibus dixit: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis* (Joan. 20, 23)? Audimus Christum dicentem: *Non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis* (Matth. 10, 20): num propterea martyres fidem Christi professi non sunt coram tribunalibus? Testatur Petrus Ananiae: *Non es mentitus hominibus sed Deo* (Act. 5, 4), num propterea Ananias non est mentitus Petro? Si ergo licet *solius* Dei sit remittere peccata, non propterea excluduntur homines, Dei *ministri* pro ipso legatione fungentes, per quos in homines hoc beneficium deri-

confessione disponitur, confessione poenitentia nascitur, poenitentia Deus mitigatur. Itaque exomologesis prosternendi et humilificandi hominis disciplina est, conversationem

---

vetur; nec ideo, quod Patres Deo solique Deo confitenda esse peccata affirment, exclusum ab iis censeri debet ministerium sacerdotum, per quos haec confessio in Deum dirigatur et Deo, ut eam clementer acceptet, offeratur? *Soli* Deo offerendum est sacrificium, num idcirco ab omnibus promiscue offerri poterit citra illius ministerium, qui *pro omnibus constituitur in iis, quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis* (Hebr. 5, 1)? Quare 2.) nisi vel subjecta materia, vel orationis adjuncta, vel doctrina aliunde certa evidenter sacerdotum interventum ac ministerium excludant, ex ejusmodi Patrum dictis nihil legitime contra confessionis necessitatem excipi poterit. Sed tantum abest, ut majores nostri a confessione Deo facienda relegaverint sacerdotes, ut multiplici potius ratione peccatorum confessionem *per sacerdotes* et ministros Christi docuerint esse Deo faciendam. Et omissis 3.) iis interim Patrum effatis, quibus passim theologi confessionis probant necessitatem quaeque cf. possunt ap. Bellarminum, de poenit. l. 3. c. 5 ss.; Scheffmacher, Lettres d'un docteur allemand del'université de Strasbourg à un gentilhomme protestant. Quatrième Lettre prop. 2. et 3., Denis de Sainte-Marthe, Traité de la confession (utrumque opus habetur in Perpetuité de la foi edit. Migne 1841 t. 4.) Marianus Victorius Reatinus, de sacramento confessionis seu poenitentiae historia ex veteribus SS. PP. collecta (in thesauro theologico

injungens misericordiae illicem: de ipso quoque habitu atque victu mandat, sacco et cineri incubare, corpus sordibus obscurare, animum moeroribus dejicere, illa quae peccavit tristi

---

Zachariae t. II.); Natalis Alex. diss. 14. in sec. 14. Muzzarelli, il buon uso della logica opusc. 13. Confessione auriculare; Klee, die Beichte, Frankfurt 1828. etc., ostendi potest confessionem, de qua Patres loquuntur, faciendam fuisse Deo per sacerdotes a) praejudicio. Fructus enim hujus confessionis est remissio peccatorum: sed hanc Deus secundum Patres non *immediate* confert, sed per eos, quos constituit dispensatores mysteriorum suorum, quibus dedit potestatem clavium et Spiritum s. ad remittenda peccata. Per hos igitur etiam offerenda erit Deo confessio illa tanto donanda beneficio. Et sane b) Patres loquuntur de confessione, quae pars esset illius poenitentiae, ad quam adeo fideles gravium criminum reos hortantur; haec autem est poenitentia in Ecclesia agenda, ut patet evidenter ex tribus opusculis quae hoc volumine edimus. Ad rem sunt verba auctoris sermonis 392. inter dubios s. Augustini (al. h. 49. inter 50.) n. 3: „Nemo sibi dicat: Occulte ago, apud Deum ago (poenitentiam): novit Deus, qui mihi ignoscat, quia in corde ago. Ergo sine causa dictum est: Quae solveritis in terra, soluta erunt in coelo (Matth. 18, 18)? Ergo sine causa sunt claves datae Ecclesiae Dei? frustramus Evangelium, frustramus verba Christi?“ Proinde loquuntur quoque de confessione ministris Ecclesiae facienda, quod c) evidenter ex scopo confessionis hujus Deo faciendae colligitur, quem hic Tertullianus indicat cum dicit: „Delictum Domino

tractatione mutare; ceterum pastum et potum pura nosse, non ventris scilicet, sed animae causa; plerumque vero jejuniis preces alere, ingemiscere, lacrymari et mugire dies noctes-

---

nostrum confitemur, non quidem ut ignaro, sed quatenus *satisfactio confessione disponitur*, confessione poenitentia nascitur etc.“ Confessio ergo normae instar erat, secundum quam satisfactio disponebatur et imponebatur; sed satisfactionem imponebant Ecclesiae ministri, quibus data potestas sicut solvendi ita et ligandi. His proinde facienda erat confessio. Hinc Innocentius I. ad Decentium ep. 25. c. 7: „De pondere aestimando delictorum sacerdotis est judicare, ut attendat ad confessionem poenitentis et ad fletus et lacrymas corrigentis et tunc jubere dimitti, cum viderit congruam satisfactionem.“ Quare 4.) si Patres fideles peccatores hortantur, ut confiteantur Deo peccata sua, intelligendi vel exponendi sunt eo sensu, quem plures veterum, qui clarius loquuntur, hisce subjiciunt verbis. „Confitere, inquit Anastasius sinaita (de sacra synaxi in auctar. Combefis. t. 1. ed. paris. p. 890), peccata tua Christo *per sacerdotem*.“ Egbertus eboracensis († 767) praescribit (ap. Mansi collect. conc. t. 12. c. 232): „*Confiteatur Deo* malefacta sua, *ut sacerdos sciat*, quam poenitentiam ipsi imponere debeat.“ In celeberrimo apud graecos libello poenitentiali Joannis Jejunatoris patriarchae constantinopolitani injungitur sacerdoti, ut ita peccatorem alloquatur (ap. Morin. antiq. poenit. p. 77 s.): „Spiritualis fili, ego confessionem tuam primario et praecipue non recipio, nec tibi absolutionem concedo, sed per me Deus (illius enim est opus

que ad Dominum Deum suum, presbyteris advolvi, et caris Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis suae injungere. Haec omnia exomologesis, ut poe-

ejusmodi) peccatorum tuorum confessionem suscipit et per nostram vocem horum remissionem dispensat et largitur. . . . . Revela igitur et declara coram sanctis angelis, nihilque me cela eorum, quae a te clam facta sunt, velut si Deo occulta cordium cognoscenti confitereris etc.“ Similis exhortatio reperitur in poenitentiali andegavensi sec. 11. (ib. p. 38): „Cum dixeris sacerdoti peccata tua, non sacerdoti sed Christo, qui est verus sacerdos. Ideo debes, carissime frater vel carisima soror, compunctione et gemitu cordis peccata tua Deo confiteri et sacerdoti tuo, qui vice Christi officium gerit, et non debes quidquam celare de infirmitate animae tuae, ut possis sanari.“ „Mox eum suavi voce interroget, ita in Euchologio graeco penes Martene (de antiquis Eccl. ritibus p. 2. l. 1. c. 6. a. 7. ord. 20.): Frater, ut quid ad Deum et ad me accessisti? Ne verearis: *non enim mihi, sed Deo,* coram quo stas, peccata tua enuncias.“ Ita ad rem nostram Godfridus abbas vindocinensis et cardinalis († 1129. l. 3. epist. 16.), postquam quatuor crimina graviora publica confessione aperienda excepit, scribit: „Cetera vero vitia, sicut dicis, per se ipsum Dominus sanat ..... videlicet quae sibi privata confessione revelantur. *Sibi dico, quia illi, qui in ejus loco esse dignoscitur.* Certum est, nihil hoc certius, omnia peccata vel crimina confessione indigere et poenitentia.“ Quod si tamen 5.) nonnulla essent Patrum dicta, quae omnem excludunt sacerdotis praesentiam

nitentiam commendet, ut de periculi timore Dominum honoret, ut in peccatorem ipsa pronuncians pro Dei indignatione fungatur, et temporali afflictione aeterna supplicia non dicam frustretur, sed expungat. Cum igitur provolvit hominem, magis relevat; cum squalidum facit, magis mundatum reddit; cum accusat, excusat; cum condemnat, absolvit. In quantum non peperceris tibi, in tantum tibi Deus, crede, parcet.

---

a confessione, de qua loquuntur, ea vel de confessione peccatorum venialium sunt intelligenda, vel de peccatis potestate clavium jam remissis, quae etiam atque etiam deflere oportet secundum Sapientis consilium: *De propitiato peccato noli esse sine metu,* (Eccli. 5, 5); vel denique de ea confessione, qua coram Deo peccata nostra recognoscentes ea detestamur ac lugemus et ita nos ad illam disponimus confessionem, quae sicut hujus est fructus, ita per clavium potestatem remissionem impetrat peccatorum. Certum namque est nonnisi in Ecclesia obtineri posse peccatorum remissionem. „Ipsa namque proprie, inquit s. Augustinus enchir. c. 65, Spiritus s. pignus accepit, sine quo non remittuntur peccata, ita ut quibus dimittuntur, vitam consequantur aeternam.“ Certum quoque est Ecclesiam propterea duplici instructam esse potestate, potestate baptizandi qua infidelium delet peccata, et potestate clavium, qua peccata fidelium remittit. Certum denique est, hanc clavium potestatem, utpote bifariam patentem solvendi atque ligandi, hinc judicialem, citra cognitionem causae et ideo citra confessionem rei exerceri non posse.

X. Pudor ab agenda poenitentia retrahere non debet.

Plerosque tamen hoc opus, ut publicationem sui aut suffugere, aut de die in diem differre, praesumo, pudoris magis memores quam salutis: velut illi, qui in partibus verecundioribus corporis contracta vexatione, conscientiam medentium vitant, et ita cum erubescentia sua pereunt. Intolerandum scilicet pudori, Domino offenso satisfacere, saluti prodactae reformari [1]). Nae tu verecundia bonus, ad delinquendum expandens frontem, ad deprecandum vero subducens. Ego rubori locum non facio, cum plus de detrimento ejus acquiro, cum ipse hominem quodammodo exhortatur: Ne me respexeris, dicens, per te mihi melius est perire. Certe periculum ejus tunc, si forte, onerosum est, cum penes insultaturos in risiloquio consistit, ubi de alterius ruina alter attollitur, ubi prostrato superscenditur [2]). Ceterum inter fratres atque

---

[1]) *Saluti prodactae reformari* i. e. recuperare animae salutem temere peccato projectam, proditam.

[2]) *Certe periculum ejus tunc* etc. Sensus est: Pudore suffundi tunc grave, onerosum est, cum inter eos versamur, qui insultant sarcasmis, qui irrident, qui ut ipsi extollantur, aliis detrahunt. Sed inter fratres casuum nostrorum consortes, qui nos com-

conservos, ubi communis spes, metus, gaudium, dolor, passio (quia communis spiritus de communi Domino et Patre), quid tu hos aliud quam te opinaris? Quid consortes casuum tuorum ut plausores fugis? Non potest corpus de unius membri vexatione laetum agere: condoleat universum (1. Cor. 12, 26), et ad remedium conlaboret necesse est. In uno et altero Ecclesia est, Ecclesia vero Christus. Ergo cum te ad fratrum genua protendis, Christum contrectas, Christum exoras. Aeque illi cum super te lacrymas agunt, Christus patitur, Christus Patrem deprecatur. Facile impetratur semper, quod Filius postulat. Grande plane emolumentum verecundiae occultatio delicti pollicetur. Videlicet, si quid humanae notitiae subduxerimus, proinde et Deum celabimus? Adeone existimatio hominum et Dei conscientia comparantur? An melius est damnatum latere, quam palam absolvi? Miserum est sic ad exomologesim pervenire. Malo enim ad miseriam pervenitur: sed ubi poenitendum est, desinit miserum, quia factum est salutare. Miserum est secari, et cauterio exuri, et pulveris ali-

---

miserantur et quibus omnia sunt communia, nullus sit pudori locus.

cujus mordacitate cruciari: tamen quae per insuavitatem medentur, et emolumento curationis offensam sui excusant, et praesentem injuriam superventurae utilitatis gratia commendant.

XI. In poenitentia agenda corporis incommoda non sunt reformidanda.

Quid si praeter pudorem, quem potiorem putant, etiam incommoda corporis reformident, quod illotos, quod sordulentos, quod extra laetitiam oportet deversari in asperitudine sacci et horrore cineris et oris de jejunio vanitate [1])? Num ergo in coccino et tyrio [2]) pro delictis supplicare nos condecet? Cedo acum crinibus distinguendis, et pulverem dentibus elimandis, et bisulcum aliquid ferri vel aeris unguibus repastinandis: si quid ficti nitoris, si quid coacti ruboris, in labia aut genas urgeat: praeterea exquirito balneas laetiores hortulani maritimive secessus: adjicito ad sumptum: conquirito altilium

---

[1]) *Oris de jejunio vanitate.*. Etenim jejunio nativus oris et formae vigor evanescit Allusit ad illud Matthaei 6, 16: *Ἀφανίζουσι τὰ πρόσωπα αὐτῶν. Vultu incedunt evanido.* Ita Rigaltius.

[2]) Tyrio i. e. vestimento ex purpura tyria constanti.

enormem saginam, defaecato senectutem vini: cumque quis interrogarit, cuinam ea largiaris: Deliqui, dicito, in Deum, et periclitor in aeternum perire; itaque nunc pendeo, et maceror, et excrucior, ut Deum reconciliem mihi, quem delinquendo laesi. Sed enim illos qui ambitu obeunt capessendi magistratus, neque pudet, neque piget incommodis animae et corporis, nec incommodis tantum, verum et contumeliis omnibus eniti in causa votorum suorum. Quas non ignobilitates vestium affectant? quae non atria nocturnis et crudis salutationibus occupant? ad omnem occursum majoris cujusque personae decrescentes, nullis conviviis celebres, nullis comessationibus congreges [1]), sed exsules a libertatis et laetitiae felicitate: idque totum propter unius anni volaticum gaudium. Nos quod securium virgarumve petitio sustinet [2]), in periculo aeternitatis tolerare dubitamus? et castigationem victus atque cultus offenso Domino praestare cessabimus, quae gentiles nemine

---

[1]) *Congreges.* Ut segrex, qui in grege non est, solitarius, ita *congreges* sunt qui cum aliis congregantur.

[2]) *Nos quod securium virgarumve petitio* i. e. consulatus, cujus haec erant signa, petitio *sustinet* seu tolerat etc.

omnino laeso sibi irrogant? Hi sunt de quibus Scriptura commemorat: *Vae illis qui delicta sua velut procero fune nectunt* (Isai. 5, 18).

XII. Exhortatio ad poenitentiam.

Si de exomologesi retractas, gehennam in corde considera, quam tibi exomologesis exstinguit: et poenae prius magnitudinem imaginare, ut de remedii adeptione non dubites. Quid illum thesaurum ignis aeterni aestimamus, cum fumariola [1]) quaedam ejus tales flammarum ictus suscitent, ut proximae urbes aut jam nullae exstent, aut idem sibi de die sperent? Dissiliunt superbissimi montes ignis intrinsecus fetu, et quod nobis judicii perpetuitatem probat, cum dissiliant, cum devorentur, nunquam tamen finiuntur. Quis haec supplicia interim montium non judicii minantis exemplaria deputabit? quis scintillas tales non magni alicujus et inaestimabilis foci missilia quaedam et exercitoria jacula consentiet? Igitur cum scias adversus gehennam, post prima illa intinctionis dominicae munimenta, esse adhuc in exomologesi

[1]) Montes ignivomos vocat *fumariola* inferni, et ut ex illis de thesauro judicemus ignis aeterni i. e. de inferno hortatur.

secunda subsidia [1]), cur salutem tuam deseris? cur cessas aggredi, quod scias mederi

---

[1]) Libenter conferunt Patres poenitentiam, quae in Ecclesia agitur, cum baptismo. Hac comparatione, si secundum omnia consideretur adjuncta, nihil validius pro confirmando dogmate catholico, quo character et dignitas sacramenti non minus ac baptismo illi vindicatur poenitentiae ritui, qui hinc quidem sacerdotis absolutione, inde vero e poenitentis contritione, confessione et satisfactione constat seu brevius (ne de confessionis necessitate lis oriatur) illi poenitentiae qualis agitur in Ecclesia et cujus administratio quovis tempore ad episcopos et presbyteros spectabat. Potiora similitudinis capita expendamus. Iisdem 1.) *nominibus* baptismus et poenitentia a Patribus designantur; vocatur enim poenitentia comparate ad baptismum *poenitentia secunda* a Tertulliano in hoc. op. c. 7 (et hic subsidia secunda), et Clemente alex. Stromatum l. 2. p. 282; *altera pharus salutis* (vel ut mavult Rigaltius *planca* i. e. tabula salutis) a Tertulliano h. c.; *gratia secunda* a Bachiario in profess. fid. n. 5. (Migne 20, 1033); *baptismus*, laboriosus quidem a Gregorio nazianzeno, or. 39. n. 17; 40. n. 8, Philastrio, haer. 89, Joanne damasceno, de fid. orthod. 4, etc. „Per has *duas portas* baptismi et poenitentiae, inquit Hieronymus in Sophon. 1, 10. in Jerusalem i. e. in Ecclesiam Dei vel introitus vel reditus est.“ Docebant 2.) Patres poenitentiam non minus ac baptisma medium, praesidium esse salutis divinitus concessum, hoc tamen discrimine, quod baptismus institutus sit ad delenda peccata infidelium, poenitentia vero in remissionem peccatorum eorum, qui jam baptizati sunt. Id clare

tibi? Mutae quidem animae et irrationales medicinas sibi divinitus attributas in tem-

---

docet Tertullianus supra c. 7. Id confirmat s. Augustinus (de adult. conjug. l. 2. c. 16): „Si a catechumeno factum est homicidium baptismo abluitur; si a baptizato poenitentia et reconciliatione sanatur.“ Et iterum (enchir. c. 46): „Ideo quisque renascitur, ut solvatur in eo quidquid peccati est, cum quo nascitur. Nam peccata, quae male agendo postea committuntur, possunt et poenitendo sanari, sicut etiam post baptismum fieri videmus.“ Cf. etiam c. 64 s. Docet et s. Hieronymus cum ait (dial. 1. adv. pelag. n. 33) peccata redimi i. e. remitti „sanguine Salvatoris aut in domo baptismatis aut in poenitentia, *quae imitatur baptismatis gratiam* per ineffabilem clementiam Salvatoris.“ Et iterum (l. 2. n. 7): „Quod autem scriptum est: Et sanguis Jesu Filii ejus mundat nos ab omni peccato (Joan. 1, 7), tam in confessione baptismatis, quam in clementia poenitudinis accipiendum est.“ Et Pseudo-Hieronymus (Brev. in Ps. 31, 6): „Qui post baptismum peccat, postea dimittitur illi per poenitentiam aut per martyrium.“ Plura et luculentiora infra dabimus, interim cf. Ambrosius, de poenit. l. 1. c. 8. n. 36; Zacchaeus christ. consultat. l. 2. c. 18. (Migne 20, 1142); Auctor commonit. de recip. manichaeis (inter op. Aug. Migne 42, 1155.) et S. 391. inter SS. s. Aug. Quare 3.) poenitentiae administrationem non minus ac baptismi Ecclesiae ministris concreditam censuerunt. Id patet evidenter ex disputatione cum montanistis et novatianis, de qua legatur s. Ambrosius, de poenit. l. 1. cc. 2, 8. „Multiplex misericordia Dei, scribit s. Leo ep. 108. c. 2, ita lapsibus

pore agnoscunt: cervus sagitta transfixus, ut ferrum et irrevocabiles moras ejus de vulnere

---

subvenit humanis, ut non solum per baptismi gratiam, sed etiam per poenitentiae medicinam spes vitae reparetur aeternae, ut qui regenerationis donum violassent, proprio se judicio condemnantes ad remissionem criminum pervenirent, sic divinae bonitatis praesidiis ordinatis, ut indulgentia Dei nisi supplicationibus sacerdotum nequeat obtineri. Mediator enim Dei et hominum, homo Christus Jesus hanc praepositis Ecclesiae tradidit potestatem, ut et confitentibus actionem poenitentiae darent, et eosdem salubri satisfactione purgatos ad communionem sacramentorum per januam reconciliationis admitterent.‹ Ita vero habet s. Augustinus (s. 351 al. h. 50. ec. 50.) n. 9: Quisquis ergo post baptismum aliquorum pristinorum malorum opere obligatus tenetur, usque adeone sibi inimicus est, ut adhuc dubitet vitam mutare, cum tempus est, cum ita peccat et vivit?... Implicatus igitur tam mortiferorum vinculis peccatorum detrectat aut differt aut dubitat confugere ad ipsas claves Ecclesiae, quibus solvatur in terra ut sit solutus in coelo, et audet sibi post hanc vitam, quia tantum christianus dicitur, salutem aliquam polliceri?... Judicet ergo se ipsum homo ..... veniat ad antistites, per quos illi in Ecclesia claves ministrantur, et tamquam bonus jam incipiens esse filius ..... a praepositis sacramentorum accipiat satisfactionis suae modum.‹ Cf. enchir. c. 65. S. Cyprianus de lapsis n. 20; ep. 40. et 54. ad Cornel. (quae est synodica) in qua dicitur, Dominum *legem* tulisse ›ut ligata in terris et in coelis ligata essent, solvi autem illic possent, *quae hic prius in Ecclesia solverentur.*‹ Hinc 4) ex-

expellat, scit sibi dictamno medendum: hirundo si excaecaverit pullos, novit illos ocu-

---

hibent Patres ministros Ecclesiae duplici divinitus instructos potestate remittendi peccata, per baptismum scil. et per reconciliationem. Id quidem evidenter ex dictis sequitur, sed aliis quoque effatis comprobari potest. Ita s. Pacianus (ep. 1. ad Sympronianum n. 6): „Solus hoc (ignoscere poenitenti), inquies, Deus poterit. Verum est: sed et quod per sacerdotes suos facit, ipsius potestas est. Nam quid est illud, quod apostolis dicit: *Quae ligaveritis in terris* etc. (Matth. 18, 18)? Cur hoc, si ligare hominibus ac solvere non licebat? An tantum hoc apostolis licet? Ergo et baptizare solis licet, et Spiritum S. dare solis et solis gentium peccata purgare: quia totum hoc non aliis quam apostolis imperatum est..... Si ergo et lavacri et chrismatis potestas, majorum longe charismatum ad episcopos inde descendit, et ligandi quoque jus adfuit atque solvendi etc.“ Et ep. 3. n. 7: Quare sive baptizamus sive ad poenitentiam cogimus seu veniam petentibus relaxamus, Christo id auctore tractamus. Tibi videndum est, an Christus hoc possit, an Christus hoc fecerit.“ Ita s. Cyrillus alex. (l. 12. in Joan.): „Duobus modis Dei Spiritu afflati homines peccata remittunt et retinent, vel cum dignos admittunt ad baptismum et indignos excludunt, vel cum filios Ecclesiae peccantes corripiunt ac poenitentibus ignoscunt.“ Praeclarissima vero verba sunt Chrysostomi de hac potestate, quam praeter potestatem baptizandi habent sacerdotes (de sacerd. l. 3. n. 5): „(Sacerdotes) qui terram incolunt in eaque commorantur, ad ea quae in coelis sunt dispensanda commissi sunt, potestatemque acceperunt, quam neque an-

lare rursus de sua chelidonia. Peccator restituendo sibi institutam a Domino exomologe-

gelis neque archangelis dedit Deus. Neque enim illis dictum est: *Quaecunque ligaveritis* etc. Habent quidem ii, qui in terra imperant potestatem ligandi, verum corpora solum: hoc autem vinculum ipsam attingit animam coelosque transcendit: ac quaecunque inferne sacerdotes faciunt, eadem Deus superne confirmat servorumque sententiam ipse Dominus ratam facit. Quid enim aliud illis dedit, quam omnem coelestium potestatem. Nam *quorum*, inquit, *peccata remiseritis* etc. (Joan. 20, 23). Quae major hac potestas fuerit? *Omne judicium dedit Pater Filio* (ib. 5, 22); videoque ipsum omne ipsis traditum a Filio esse..... Insania manifesta est, tantum principatum despicere, sine quo neque salutem neque promissa bona consequi possumus..... Corporis lepram purgare, imo potius nullatenus purgare sed purgatos probare tantum, judaeorum sacerdotibus licebat..... Hi vero non lepram corporis sed immunditiam animae non purgatam probandi sed prorsus purgandi potestatem acceperunt.« Hinc praxis obtinuit ut eadem die scil. in coena Domini diaconus ante offertorium ad episcopum adduceret tum catechumenos tum poenitentes, illi ut baptizarentur hi ut absolverentur. Qua occasione hisce pulcherrimis utebatur verbis: „Augemur regenerandis, crescimus reversis; lavant aquae, lavant lacrymae« (in lib. poenit. Egberti archiep. eboracensis ap. Morin. antiq. poenit. p. 20). Neque minorem 5.) virtutem atque efficaciam Patres absolutioni quam ipsi baptimo vindicabant. Colligitur id manifesto ex controversia cum novatianis. Non enim de eo controversia erat, utrum Ecclesia quacunque demum

sim sciens, praeteribit illam, quae babylonium regem in regna restituit? Diu enim

---

ratione peccata fidelibus possit condonare, sed utrum ita ea possit remittere, ut haec remissio valida esset coram Deo. Negabant novatiani; affirmabant vero catholici verbis innixi Christi Matth. 16, 19; 18, 18: Joan. 20, 23. ut patet ex ipsis hisce tribus opusculis et ex effatis hac in adnotatione allatis, quibus adde verba s. Athanasii (in fragm. c. novatianos, Migne patrol. gr. 25, XIII): „*Quemadmodum* homo a sacerdote baptizatus Spiritus S. gratia illuminatur, ita qui confitetur in poenitentia, per sacerdotem Christi gratia remissionem accipit.“ In Constitutionibus apost. l. 2. c. 41. legimus: „Ut ethnicum baptismo lotum post doctrinam admittis, sic hunc (peccatorem) ut poenitentia purgatum per manus impositionem cunctis pro eo deprecantibus in antiqua pascua restitues eritque ei loco lavacri manus impositio“ (qua scil. reconciliationis beneficium conferebatur. Cf. Morin. in comment hist. de discipl. et administr. sacr. poenit. l. 8. c. 15). Cf. supra verba s. Ambr. l. 1. de poenit. c. 8. n. 36; s. Augustinus de adult. conjug. l. 2. c. 16. (in hac adnot. n. 2.) etc. Mirum proinde 6.) non est quod docuerint, poenitentiam ita peccatoribus fidelibus esse necessariam ut catechumenis necessarius est baptismus. Ut hanc necessitatem imagine quadam repraesentent poenitentiam saepe alteram post naufragium salutis tabulam vocant; ita s. Hieronymus ep. 122. n. 4; 130. n. 9; s. Ambrosius (vel alius auctor) l. de lapsu virg. consecr. c. 8; s. Pacianus ep. 1. n. 5. De hac appellatione pulchre' disserit s. Thomas 3. p. q. 84. a. 6. Hanc necessitatem inculcant s. Leo ep. 108 c. 2. ad Theod. forojul.

poenitentiam Domino immolarat, septenni squalore exomologesim operatus, unguium

---

(supra); s. Augustinus ep. 228. ad Honoratum n. 8: „An non cogitamus, cum ad istorum periculorum (obsidionis vel excidii) pervenitur extrema, nec est ulla potestas fugiendi, quantus in Ecclesia fieri soleat ab utroque sexu et ab omni aetate concursus, aliis baptismum flagitantibus, aliis reconciliationem, aliis etiam ipsius poenitentiae actionem, omnibus consolationem et sacramentorum confectionem et erogationem? Ubi si ministri desint, quantum exitium sequitur eos, qui de isto seculo vel *non regenerati* exeunt *vel ligati?* ..... Si autem ministri adsint, omnibus subvenitur, *alii baptizantur, alii reconciliantur.*“ Et de adult. conjug. l. 1. c. 28: „Quae autem baptismatis eadem reconciliationis est causa, si forte poenitentem finiendae vitae periculum praeoccupaverit. Nec ipsos enim ex hac vita sine arrha suae pacis exire velle debet mater Ecclesia.“ Cf. S. 351. n. 9 (supra n. 3). Ad hanc necessitatem comprobandam egregia quoque sunt quae legimus apud Victorem vitensem l. 2. de persecut. vandalica, ubi ita inducit fideles exsilium episcoporum et presbyterorum lamentantes: „Quibus nos miseros relinquitis, dum pergitis ad coronam? Qui hos infantulos et catechumenos baptizaturi sunt fontibus aquae perennis? Qui nobis poenitentiae munus collaturi sunt et reconciliationis indulgentiae obstrictos vinculis peccatorum soluturi, quia vobis dictum est: *Quaecunque solveritis* etc.?“ „Soli enim illi (i. e. Ecclesiae catholicae), inquit Fulgentius de remiss. pecc. l. 1. c. 24. Dominus ligandi solvendique tribuit potestatem dicens: *Tibi dabo claves regni coelorum* etc. (Matth. 16, 19).

aquilinum in morem efferatione et capilli incuria horrorem leoninum praeferente (Dan. 4, 30). Proh malae tractationis! quem homines

---

Quod ergo sancta Ecclesia in hoc seculo non solverit ita insolubile permanet, ut etiam in futuro solvi nullatenus possit. Ligatus est autem omnis homo, quem ista non solverit, nec consequetur aliquod solutionis beneficium, qui non conversus ad poenitentiam in Ecclesia sibi dandam speraverit indulgentiam peccatorum.« Quae cum ita sint merito concludere licet, vel baptismum non esse novae legis sacramentum, vel si baptismus est, non minus verum propriumque sacramentum esse poenitentiam, quae in Ecclesia agitur. Iisdem enim baptismus et haec poenitentia designantur nominibus, eadem utriusque est efficacia ac virtus, eadem ad salutem necessitas, idem utriusque minister ordinarius, eandem in ministro potestatem delegationemque divinam supponunt, ejusdem misericordiae, quae non vult mortem peccatoris sed ut vivat, cum ille tum haec salutis est praesidium ac canalis ejusdem gratiae maculas abluentis. Si differunt, ea differunt ratione, ut haec differentia vim argumenti confirmet. Differunt enim ordine cum baptismum poenitentia excipiat tamquam alter baptismus; differunt subjecto, cum baptismus infidelium, absolutio vero peccata deleat fidelium; differunt modo remissionis, cum in baptismo peccata donentur, in poenitentia vero contritione, confessione et congrua satisfactione peccatorum remissio sit impetranda, quare baptismus difficilis dicitur et laboriosus. Cum ergo tanta sit inter baptismum et poenitentiam affinitas, si ritus ablutionis est sacramentum et reconciliationis ritum sacramentum esse inferendum est.

perhorrebant, Deus recipiebat. Contra autem aegyptius imperator, qui populum Dei aliquando afflictum, diu Domino suo denegatum, persecutus in proelium irruit, post tot documenta plagarum, discidio maris, quod soli populo pervium licebat, revolutis fluctibus perit. Poenitentiam enim et ministerium ejus exomologesim abjecerat. Quid ego ultra de istis duabus humanae salutis quasi pharis, stili potius negotium quam officium conscientiae meae curans [1])? Peccator enim omnium notarum cum sim, nec ulli rei nisi poenitentiae natus, non facile possum super illa tacere, quam ipse quoque et stirpis humanae et offensae in Dominum princeps Adam, exomologesi restitutus in paradisum suum, non tacet.

---

[1]) Quid ultra de baptismo et poenitentia hisce duobus humanae salutis *pharis* (Rigaltius mavult legere: *plancis*) i. e. subsidiis scribo? poenitentiam me potius agere oportet, utpote qui omnibus peccatis sim notatus seu omnium peccatorum reus.

INDEX.

Pag.

S. Ambrosii Mediolanensis Episcopi de Poenitentia liber primus 1

Caput I. Moderationis praestantia et necessitas. Eam Christus suo commendat exemplo, abjiciunt vero novatiani 1

Caput II. Novatiani cum ligant et non absolvunt contra Domini agunt voluntatem . 5

Caput III. Novatiani et ab erroris sui auctore dissident et divinae misericordiae adversantur 9

Caput IV. Quam propensus ad misericordiam sit Christus 13

Caput V. Deus peccantibus indignatur quidem, sed ut eos indignationis suae terrore convertat; lapsos vero, qui ad Ecclesiam revertuntur, cum exsultatione suscipit . . 15

Caput VI. Novatianorum inhumanitas . . . 19

Caput VII. Novatianorum tumor et error . . 21

Caput VIII. Discipulorum Christi praerogativae. Tumor novatianorum 23

Pag.

Caput IX. Respondet ad verba 1. Reg. 2, 25., quibus abutebantur novatiani 27
Caput X. Solvit difficultatem ex 1. Joan. 5, 16. derivatam 30
Caput XI. Omnibus credentibus, hinc et lapsis, si a lapsu resurgunt, salus promittitur . 32
Caput XII. De eodem argumento 35
Caput XIII. Lapsi poenitentiam agant. Quid sit tradi satanae in interitum carnis. Magna Dei potentia, qua satanam ut sibi noceat, nobis vero prosit, cogit invitum . . . 38
Caput XIV. De oculorum mentisque custodia ad vincendas carnis illecebras 42
Caput XV. Explicat verba S. Pauli 1. Cor. 5, 7 48
Caput XVI. Quantum distent novatiani a misericordia Domini. Dum poenitentiae fructus e medio tollunt, ejus exstinguunt studium . 52
Caput XVII. Severitati pietas est addenda. Carnis interitus ejus castigationem significat 55

Liber Secundus.

Caput I. Mature et sollicite agenda est poenitentia 59
Caput II. Explicat s. Doctor verba s. Pauli Hebr. 6, 4 s. 61
Caput III. Parabola filii prodigi Luc. 15, 11 ss. refelluntur novatiani 67

Pag.

Caput IV. Respondet ad objectionem ex Matth. 12, 31 s. derivatam 71
Caput V. Quo sensu s. Petrus Simoni mago veniam dubitanter promittat. Exhortatio ad poenitentiam 77
Caput VI. Exhortatio ad poenitentiam. Qua ratione agenda sit 84
Caput VII. Ad flenda et confitenda peccata hortatur 89
Caput VIII. Oratio ut Deus ipsum suscitet condolendique peccatoribus impertiat affectum 95
Caput IX. Qua ratione poenitentia agenda sit 101
Caput X. A pudore in poenitentia agenda dehortatur. Alia de ratione agendae poenitentiae monita 104
Caput XI. Poenitentia non est differenda. Publica vero poenitentia eo agenda est tempore, quo culpae defervescat luxuria 113
S. Cypriani liber de lapsis 118
I. Gratiae Deo agendae sunt pro pace Ecclesiae reddita 118
II. Eorum qui pro Christo passi sunt laus 119
III. Nemo eos, qui fuga persecutioni se subtraxerunt, detrectet 121
IV. Dolet s. Doctor lapsorum ruinas . . 122
V. Persecutionem Deus probandi causa permisit 123

Pag.

VI. Christianorum ante persecutionem vitia 124
VII. Omnia quae contigerunt, praenunciata sunt 125
VIII. Quorundam ignavia 127
IX. Parentum quorundam perfidia . . . 128
X. Persecutionis tempore secedendum est . 129
XI. Patrimonii inordinatus amor plerisque lapsis fuit occasio 130
XII. Patrimonii jactura non timenda sed et optanda 131
XIII. Qui tormentorum vehementia victi fidem negarunt, venia sunt magis digni . . 133
XIV. Lapsis non est adulandum 134
XV. Lapsorum quorundam temeritas, qui poenitentia neglecta ad communionem accedunt 135
XVI. Qui lapsis poenitentiam non agentibus pacem concedit, non confert beneficium, sed damnum iis infert 136
XVII. Dominus nostra satisfactione placandus est 138
XVIII. Lapsis poenitentiem non agentibus Martyrum intercessio non prodest . . . 139
XIX. Confirmatur hoc exemplis in S. Scriptura relatis 141
XX. Martyres contra Dei mandatum agere non possunt 148

Pag.

XXI. Deo permittente omnia contigerunt . 149
XXII. Lapsorum quorundam procacitas . . 150
XXIII. Exhortatio ad lapsos 151
XXIV. Exempla vindictae divinae 151
XXV. Aliud exemplum 152
XXVI. Poenae latentis criminis reis divinitus inflictae 154
XXVII. Etiam libellaticis agenda est poenitentia 155
XXVIII. Licet minor sit culpa, non sunt tamen immunes a crimine 157
XXIX. Exhortatio ad poenitentiam 158
XXX. Quinam poenitentiam non agunt . . 159
XXXI. Exemplum Danielis et trium puerorum 160
XXXII. Exhortatio ad poenitentiam 162
XXXIII. Quorundam obstinatio neminem moveat 162
XXXIV. Ejusmodi obstinati cavendi sunt . . 163
XXXV. Quomodo poenitentia sit agenda . . 164
XXXVI. Qui vere poenitentiam agunt, possunt sperare veniam 165

Quinti Sept. Flor. Tertulliani liber de poenitentia 168

I. Veram poenitentiae rationem qui fide carent ignorant 168
II. Deus poenitentiam commendat, quae non est agenda de bonis operibus 170
III. Delictorum alia sunt interna, externa alia 174
IV. Exhortatio ad poenitentiam 178

Pag.

V. Poenitentia jam acta delictorum iteratione non est rescindenda 180
VI. Poenitentia etiam catechumenis serio est agenda nec procrastinanda 183
VII. Post baptismum lapsis per poeniteutiam venia patet 189
VIII. Deus peccatoribus poenitentibus ignoscere est paratus 192
IX. Qualis poenitentia sit agenda 194
X. Pudor ab agenda poenitentia retrahere non debet 201
XI. In poenitentia agenda corporis incommoda non sunt reformidanda 203
XII. Exhortatio ad poenitentiam 205
Annotatio I. Quo sensu Patres unam dixerint esse poenitentiam 106
Annotatio II. De libellis martyrum deque indulgentiarum usu primis Ecclesiae seculis . 140
Annotatio III. Quo sensu Patres dicant peccatores confiteri debere peccata sua Deo vel etiam soli Deo 195
Annotatio IV. Comparatio instituitur baptismum inter et poenitentiam et inde colligitur poenitentiam verum esse N. L. sacramentum . 206

A. M. D. G.